



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

DE IMAGINIBUS AESCHYLI.

I.

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM

PERMISSU PHILOSOPHORUM UPSALIENSIUM


P. P.

SVEN DAHLGREN.
PHIL. DOCTOR.

IN AUDITORIO GUSTAVIANO MINORE A. D. XI CAL. FEBR.

H. A. M. S.

HOLMIÆ.
TYPIS DESCRIPSERUNT P. A. NORSTEDT & FILII.
MDCCCLXXVII.


LIBRARY

Quantum in eo curae posuerint viri antiquarum literarum studiosi, ut sermonem et dicendi modum singulorum scriptorum idque etiam in rebus, quae minimae viderentur, quam accuratissime pervestigarent, nemini ignotum est, qui quidem, quos studia illa nostra aetate fecerint progressus, perspectum habeat. Quis nescit, quot editiones, praesertim eorum scriptorum, qui optimi habentur, his decenniis confectae sint, quantoque hae vulgo vetustioribus antecellant? Atque merito ii, qui nuper in veterum scriptis explicandis versati sunt, summam operam in eo sibi collocandam putaverunt, ut cognoscerent, quae cujusque scriptoris propria essent, quae ei cum aliis communia. Sed quum id magnum laborem et multam temporis impensam desideret, difficile est, si quis unum quendam scriptorem aut majorem partem ejus tractandam suscepit, omnia, quae ad sermonem ejus pernoscendum pertinent, ita animo comprehendere, ut nihil praetereat, nihil inexplicatum relinquat. Quare exstiterunt viri, qui singulas quaestiones ad elocutionem scriptoris alicujus pertinentes sibi eligerent, ut eas separatim tractarent et in singulis dissertationibus proponerent. Quod quanto cum commodo horum studiorum iam factum sit, omnes, credo, agnoscunt; sed multo magis quam adhuc id fieri oportet, si monumenta literarum ex antiqua aetate nobis servata penitus perspecta et pervestigata futura sunt. Hac in re etiam tiro campum late patentem habet, in quo et suas vires exercere et ad linguas antiquas melius cognoscendas aliquid adferre adjumenti possit, si scriptorem quendam attente perlegit et omnia, quae ad quaestionem quandam grammaticam pertinent, quam maxime diligenter collecta et generatim descripta proponit. Quo fit, ut ii, qui deinde

majore doctrina et judicandi subtilitate instructi ad scriptorem illum tractandum aggrediuntur, magno illo atque operoso colligendi labore levati ad res difficiliores et ingenio suo magis dignas se totos conferre possint. Quae quum considerarem, etiam me opus non plane inutile suscepisse visum iri putavi, quum sermonem Aeschyli, cujus in studio iamdiu versor, una ex parte tractare statuerem.

Si omnino verum est, quod dixi, ad linguam aliquam cognoscendam magnopere interesse loquendi usum singulorum scriptorum quam accuratissime perscrutari, id eo magis necessarium est, quo magis sermo, quo utitur scriptor, ejus proprius est et a communi more verborum recedit. Atque tale esse id genus dicendi, quod Aeschylus adhibet, nemo est, quin sentiat, qui vel leviter Græcis literis imbutus ad tragoedias ejus legendas se contulerit. Haec insolentia et a communi more discrepantia, quae dictionis Aeschyleae propria est, ei optime convenit ingenio, quod omnia ejus carmina prae se ferunt; quam rem hic breviter tantum atque strictim attingere licet. Quod igitur de unoquoque scriptore recte dicitur, in ipso dicendi genere, quod adhibet, ingenium et mores hominis tamquam expressa videri, id haud scio an vel maxime in Aeschylum quadret. Nam si quaerimus, quid sit id, quod tragoediarum Aeschyli maxime proprium sit, reperimus eas semper notam quandam insignitam magni ac celsi animi et praesertim pietatis atque sanctitatis habere. Ardor ille animi et impetus, quo bellis Persicis quum omnes Graeci tum praesertim Athenienses inflammati sunt, in omnibus ejus aetatis scriptoribus cernitur, in nullo autem melius quam in Aeschylo, quem ipsum et ad Marathona et ad Salamina pugnasse pro certo constat. Haec mentis elatio in eo summa cum gravitate ac constantia et pio ac deos verente animo, qui de natura deorum, de virtute et moribus veriores notiones quam vulgo aequales concepisset, erat conjuncta. Quum ita affectus ad tragoedias scribendas se contulerit, non est, quod miremur omnia ejus scripta granditatem illam exhibere, quam veteres vocabulis *μεγαλοψυχίᾳ* et *μεγαλοφωνίᾳ* significare solebant. Numquam tragoediae ejus in rebus levibus et quotidianis versantur; plerumque argumenta earum ex fabulis deorum et heroum sumpsit, quas

semper maxima cum libertate mutavit, ut ita ostenderet, quid de quaestionibus, quae generi humano maximae essent, ipse sentiret. Vis justitiae divinae et honestatis; deorum administratio mundi et libertas agendi hominum et quomodo haec cum illa conveniat; quomodo culpam, quam nimis se efferentes et jus violantes contrahunt homines, poena sequatur et culpa illa saepe a majoribus ad posteros tamquam hereditate tradatur, donec justitiae divinae satisfiat; quomodo in vita hominum jus naturale et jus civile, quae vocantur, inter se pugnent: tales sunt eae res, a quibus apud Aeschylum omnis tragoediae actio proficiscitur. Quanti Aeschylus poeticam suam facultatem, ut munus sibi divinitus assignatum, aestimaverit, multa ipsius dicta probant ab antiquis scriptoribus tradita. Ita Pausanias narrat [1]) Aeschylum dixisse sibi puero Bacchum in somnio visum esse imperare, ut tragoedias scriberet, et, quum experrectus esset, se maxima facilitate id fecisse. Haec et alia eodem spectantia, quae de eo narrantur, etiamsi ficta sunt, tamen digna sunt, quae commemorentur, quum ex iis appareat, quid de arte Aeschyli ipsi veteres judicaverint.

Cum hac elatione animi, quae in tragoediis Aeschyli omnibus locis inest, etiam verba, quibus indutae sunt, tamquam vestis corpori apta congruunt. Ut enim in rebus altissimis et supra vitam quotidianam quam maxime elatis versatur, ita genere dicendi utitur, quod a communi more discedit et semper sanctum aliquid et quasi solenne habet. Huic consentaneum est, quod numquam elaborat, ut orationem politam et facilem efficiat; omnia eo refert, ut etiam verbis granditatem quandam et majestatem conciliet; quam ut assequatur, saepe a more tradito sermonis Graeci et in vocabulis et in structuris audacissime discedit. Quamquam igitur apud eum suavitate et venustate caremus, fieri non potest, quin vis dictionis ejus omnes legentes veneratione afficiat. Et si cui interdum durus et obscurus atque etiam jejunus videtur, non est obliviscendum granditatem illam non ex

[1]) Pausan. 1, 21, 3: *ἔφη δὲ Αἰσχύλος μειράκιον ὢν καθεύδειν ἐν ἀγρῷ φυλάσσων σταφυλὰς, καί οἱ Διόνυσον ἐπιστάντα κελεῦσαι τραγῳδίαν ποιεῖν· ὡς δὲ ἦν ἡμέρα, πείθεσθαι γὰρ ἐθέλειν, ῥᾷστα ἤδη πειρώμενος ποιεῖν.*

rhetorica affectatione fluxisse, sed ex naturali altitudine animi, quae ei cum spectatoribus, quibus scribebat, communis erat. Quod primum igitur ad *vocabula,* quibus utitur, attinet, saepius quam alius quisquam Graecus scriptor nova finxit [1]); praesertim ea audacia admiranda est, qua composita invenit, sicut omnino vocibus longis et plene sonantibus delectari videtur. Multa obsoleta vocabula, praesertim ex Homero, recepit, quo orationi suae vetustatis quendam colorem addidit. Etiam ab usitatis significationibus verborum non raro recedit, quod imprimis in metaphoris cernitur. *Syntaxis* Aeschyli, quamquam in hac re genus dicendi ejus plerumque admodum simplex et perspicuum est neque longis et implicatis verborum circumscriptionibus utitur, tamen eas leges, quae omnino Graecae linguae sunt, non raro negligit. Quare anomaliae omnis generis, ut pleonasmi, brachylogiae, asyndeta, anacolutha, aposiopeses, apud Aeschylum frequentissimae sunt. Mira et audax imprimis est ea ratio, qua adjectiva et genitivos ad substantiva per attributionem, quae vocatur, adjicit. Ut iam ad *imagines* veniamus, quibus omnem poeticam dictionem tamquam luminibus illustrari necesse est, eadem illa, quae omnino dictionis Aeschyleae propria esse diximus, etiam in iis cernuntur. Nam eam granditatem, quam ut tragoediis suis conciliaret, totum suum dicendi genus conformavit, nescio an maxime his luminibus assecutus sit, quae apud eum non sunt inanis verborum strepitus, sed ex praeclarissima poetica facultate et ex spiritu illo divino, quo erat inflatus, oriuntur. Verum est id quidem Aeschylum, ut ceteros poetas Graecos, quibus id erat natura innatum, ut modum in omnibus servarent, a nimia in imaginibus abundantia plerumque abstinuisse. Quare quum oratio, ut maxime in dialogo, epicae narrationis modo quieto et placido gradu procedit, pleraque propriis et suis vocabulis efferuntur. Sed quotiescunque poeta altius assurgens majorem aliquem animi motum vult depingere, quod saepissime in lyricis partibus, sed non raro etiam in dialogo accidit, proprio dicendi genere relicto ad imagines easque audacissimas et splendidissimas confugit; quod vix dici potest, quantum ad granditatem orationis augendam valeat. Si

[1]) Todt, de Aeschylo vocabulorum inventore, Hal. 1855.

verum est Aeschylum tum maxime imagines adhibere, quum in vehementi motu depingendo ipse impetu quodam mentis provehitur, non est mirandum eum nusquam saepius quam in talibus locis a legibus Graecae linguae et a communi loquendi more discedere. Haec est causa, quare multi eorum locorum, qui imagines continent, tantas difficultates interpretibus attulerunt. Saepe sermo in iis obscurus est et praesertim nimia brevitate difficilis. Saepe ipsa similitudinis ratio, quae inter eas res, quae in imagine comparantur, intercedit, audacissime inventa est et a nostrae linguae natura plane abhorret. Interdum miro modo ab una cogitatione ad aliam velut transsilit, ut difficile sit indagare, quae sit ea suppressa cogitatio, quae eum ab illa ad hanc deduxerit.

Iam satis me dixisse arbitror, ut demonstrarem me, quum imagines Aeschyli tractare instituerem, rem suscepisse vel maxime dignam, in qua elaboraretur. Nam si omnino ad poetam plane intelligendum non parvi momenti est exquirere, quibus usus sit imaginibus et quomodo eas conformaverit, id eo magis fieri oportet, quo plura poeta in earum usu habet sua et propria; quod ita esse apud Aeschylum supra significavi, infra uberius exponam. Quare credidi, si omnia imaginum exempla, quae in tragoediis Aeschyli invenirentur, accuratissime collegissem et in genera quaedam descripta proposuissem, futurum esse, ut ad hunc poetam melius intelligendum nonnihil utilitatis redundaret. Quod adhuc a nullo factum esse video. Non defuerunt ii quidem, qui de quibusdam rebus, quae huc pertinent, disputarent, nec tamen ita, ut quaestio ad finem perducta haberi possit. Iam eos nominabo, quos scio ante me in imaginibus Aeschyli tractandis versatos esse. Altum (Similitudines Homeri cum Aeschyli, Sophoclis, Euripidis comparantur. Berol. 1855) similitudines tantum tractat, quae est pars ei generi, quod nomine imaginis complector, subjecta. Hoppe (De comparationum et metaphorarum apud tragicos usu. Berl. 1859) uberrime et omnibus exemplis collectis de eo imaginum genere agit, quod ab *avium* natura est deductum. Radtke (De tropis apud tragicos Graecos. Berol. 1865) universa de tropis disputatione praemissa metaphoras tragicorum ex *agriculturae* rebus desumptas exponit; *idem* (De tragicorum

Graecorum tropis. Partic. II. Ostrowo 1867) de metaphoris ex verbis *nauticis* et *venaticis* petitis disputat; in utraque autem dissertatione enumerationem omnium exemplorum non spectat, sed ex magna copia minorem numerum deligit, ut metaphorarum apud tragicos usum illustret. Illi igitur viri, quos iam nominavi, ejus quaestionis, de qua hic mihi proposui, ut disputarem, partem tantum tractaverunt. Unus, Schulze (De imaginibus et figurata Aeschyli elocutione. Halberstadt 1854), omnia ea, quae nomine imaginis comprehenduntur, genera tractanda et omnia eorum apud Aeschylum exempla colligenda suscepit. Quae disputatio quum mihi tum demum in manus veniret, quum opus meum iam incepissem, primo ab instituto meo, ut iam supervacaneo, desistere cogitabam. Sed libellum Schulzii diligentius inspiciens inveni eum nihil nisi enumerationem exemplorum continere neque eam satis accurate factam; non paucos locos omisit, quos afferre debebat, alios inter numerum metaphorarum retulit, in quibus quid metaphorici inesset, frustra quaesivi. Quo quum accederet, quod in illa conscribenda dissertatione, ut quae abhinc viginti duo annos ederetur, multis Aeschyli interpretandi adjumentis, quae nunc habemus, uti non licuit, me non plane operam meam perditurum putavi, si eundem laborem susciperem.

Cap. I.

Antequam ad rem propositam aggrediar, paucis exponam, quae sit *imaginis* vis et natura, et quae ei ut generi subjectae sint partes, ut disputatio mea habeat, in quo tamquam in fundamento nitatur. Constat iam veteres magnam operam in eo collocasse, ut imaginem et alias eodem pertinentes notiones definirent et explicarent; quod praesertim ab iis factum esse videmus, qui *τέχνην ῥητορικήν,* cui propositum erat, ut bene dicendi et scribendi praecepta daret, profitebantur. Hi enim, quum de ornatu dicendi agerent, quod disciplinae eorum quasi caput erat et summa, magnam disputationis partem metaphoris, similitudinibus, aliis imaginum generibus dederunt; quae quantum ad orationem ornatam efficiendam valerent, non poterant non

animadvertere. Et quamquam consilium hujus artis, quae magis ad vitae usum quam ad cognoscendi rationem referebatur, necessario effecit, ut potissimum solutam orationem spectarent, etiam poeticam non raro ab iis respectam esse invenimus idque maxime in ea parte, quae de ornatu erat. Ita saepe rhetores praecepta sua exemplis illustrabant, quae ex poetis sumpta erant, maxime ex Homero, ut qui ejus aetatis hominibus omnium maxime poetarum notus esset. Ex iis, quae ab illis dicendi praeceptoribus de arte, quam docebant, literis mandata sunt, non pauca ad nostram aetatem manserunt. Hos rhetorum commentarios etiam de vi et natura imaginum multa acute et subtiliter disputata continere negari non potest. Sed ut dicam id, quod sentio, neque quisquam eorum definitionem imaginis protulit, quae omnes ejus partes complecteretur, neque semper has ipsas partes satis subtiliter inter se distinxerunt. Omissis igitur iis definitionibus, quas Aristoteles, Trypho, Hermogenes, Cicero, Quintilianus, alii tradiderunt, id tantum in medium proferam, quod mihi rei notionem optime aperire videtur. *Imago adhibetur, quum in dicendo vel scribendo ornatus causa, i. e. ut delectatio moveatur, rei alicui componitur alia, quae cum illa similitudinem quandam insignem habet.* Omnium igitur imaginum id commune est, quod in iis duae res comparantur, quarum una nullam aliam ob causam nominatur, quam ut alteram similitudine insigni illustret, et quod hoc ad orationem ornandam spectat. Quare in imagine, ut in omni comparatione, tria discernenda sunt: primum ea res, quae alia simili illustratur; deinde res, quae illi illustrandae inservit; brevitatis causa illam *primum*, hanc *secundum comparationis membrum* appellare volo. Tertium animadvertenda est ipsa similitudinis ratio, quae inter duas illas res comparatas intercedit; quam nomine usitato *tertium comparationis* appello.

In ea imaginum partiendarum ratione, quae usitatissima est atque etiam iis vocabulis, quibus huc pertinentes notiones vulgo nominantur, subest, discrimen *formale*, ut ita dicam, inter diversa genera constituitur, ut non, *quid* in iis dicatur, sed *quomodo*, spectetur. Quae sint quaque re differant ea genera, et quomodo haec rursus in alia minora dividantur, iam exponam adjungens exempla, quae auctoribus antiquis

rhetoribus ex Homero sumam. Universum igitur genus in duas partes dividitur, quarum una iis imaginibus continetur, in quibus secundum comparationis membrum *juxta* primum ponitur, plerumque adjuncta particula comparativa vel alio, quae sit inter ea ratio, declarante vocabulo; altera autem iis continetur, in quibus secundum *pro* primo ponitur, ut hoc verbis non enuncietur, sed tantum cogitetur. Sed etiam sic vera comparatio exsistit, si quidem alia res, quam quae dicta est, animo loquentis vel scribentis obversatur. Prius genus similitudo vel simile Latine dicitur. In similitudine aut unum aut duo aut plura tertia comparationis esse possunt. Si similitudo unum tertium comparationis habet, ea aut ita conformata esse potest, ut rei, quae illustranda est, simplicitur apponatur nomen alius rei, quacum confertur; velut *ὁ δ' ἐναντίον ὦρτο, λέων ὥς*; aut ita, ut haec ipsa comparationis causa illata res uberius explicetur, additis attributis vel etiam totis enunciationibus, quae ad eam exornandam et plenius depingendam pertineant, in altera autem re nihil habeant, quod respondeat. Hujus generis sunt plurimae Homericae similitudines, quae talibus tamquam otiosis additamentis saepe in multorum versuum spatium dilatantur. Exemplum unum ex multis sit Il. 15, 323 sequ:

οἱ δ', ὥστ' ἠὲ βοῶν ἀγέλην ἢ πῶυ μέγ' οἰῶν
θῆρε δύω κλονέωσι μελαίνης νυκτὸς ἀμολγῷ,
ἐλθόντ' ἐξαπίνης σημάντορος οὐ παρεόντος,
ὣς ἐφόβηθεν Ἀχαιοὶ ἀνάλκιδες.

Trojani Graecos fugant, ut duae ferae gregem boum vel ovium. Sed quod additur, id in tenebris noctis fieri, feras subito advenisse pastore absente, id nullo alio consilio dicitur, quam ut ferarum persequentium magis expressa et tamquam praesens imago ante oculos ponatur; nam de Trojanis Graecos fugantibus nihil, quod simile sit, dici potest. Ex duobus illis generibus, in quae similitudines unum tertium comparationis habentes divisimus, prius *simplices*, posterius *explicatas* appellare licet. Sed sunt etiam similitudines, quae duo vel plura tertia comp. habent, ut duae eae res, quae conferuntur, plus quam una ratione similes sint. Quae quum plura etiam verba desiderent, id discrimen,

quod in similitudinibus unius tertii comp. inter simplices et explicatas esse statuimus, non facile in hoc genus cadit, sed omnes, nisi fallor, inter explicatas sunt numerandae. Haud multa hujus generis exempla carmina Homerica praebent; velut Il. 2, 459:

τῶν δ', ὥστ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά,
χηνῶν ἢ γεράνων ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα,
ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμενα πτερύγεσσιν,
κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών,
ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
ἐς πεδίον προχέοντο Σκαμάνδριον· αὐτὰρ ὑπὸ χθὼν
σμερδαλέον κονάβιζε ποδῶν αὐτῶν τε καὶ ἵππων.

Similitudinis ratio hic et in multitudine catervarum, quae in campum effunduntur, et in strepitu, quem excitant, inest.

Antequam ad alterum imaginum genus transeo, hic monitum velim non omnes comparationes, i. e. tales dicendi formas, quibus duae res comparentur, similitudines esse habendas. Nam si recte statuimus, imaginis proprium esse, quod is, qui eam adhibet, comparatione orationi suae majorem ornatum et nitorem afferre velit, inde effici mihi videtur id ita fieri necesse esse, ut animo sibi fingat aliquid, quod cum ea re, quae illustranda est, insignem similitudinem praebeat. Ex quo intelligitur in unaquaque imagine secundum comparationis membrum rem esse oportere, quae fieri posse, non re vera facta esse vel fieri cogitetur. Plane alia ratio est, quum aliquis duas res confert, quarum utramque re vera vel fuisse vel esse cogitat; quod quum facit, perspicuitatem, non splendorem orationis spectat. Nemo sibi persuadeat tales comparationes esse imagines; hae enim semper, ut ex ipso nomine apparet, ab animi imagines concipiendi facultate proficiscuntur. Differentia illa quo melius intelligatur, exemplum ex Aeschylo sumptum afferam. Choeph. 96 quum Electra ita interrogat: *ἢ σῖγ' ἀτίμως, ὥσπερ οὖν ἀπώλετο πατήρ, τάδ' ἐκχέασα, γάποτον χύσιν, στείχω,* comparatio ea quidem est, sed non similitudo; sed quum ibidem ita persequitur: *καθάρμαθ' ὥς τις ἐκπέμψας πάλιν δικοῦσα τεῦχος ἀστρόφοισιν*

ὄμμασιν, similitudine utitur, quia rem cogitatione informatam sibi ante oculos ponit. Attamen inter imaginum numerum referri solent *παραδείγματα, exempla*, quae vocantur, quibus aliquid cum re nota et illustri ex antiquis fabulis vel ex memoria rerum gestarum sumpta comparatur; velut quum Hom. Od. 20, 66—80 Penelope precatur, ut dii eodem modo se interficiant, quo olim procellae filias Pandarei abripuerint. Atque merito ea pro imaginibus habere licet; quicunque enim tali utitur, quamquam a re, quae vera est vel quam veram esse putat, similitudinem petit, id eo fere consilio facit, ut orationem illustri exemplo ornet et illuminet. Quare ea non multa *παραδείγματα*, quibus Aeschylus usus est, infra afferentur.

Alterum imaginum genus ex iis constare dixi, in quibus secundum comp. membrum pro primo poneretur et in ejus locum succederet. Qui ejus generis imagine utitur, rem aliquam cum alia simili ille quidem comparat, sed sive celeritate quadam et impetu ingenii, sive consulto brevitati studens, illam omittit, hanc solam enunciat, legenti vel audienti permittens, ut, quod non dictum sit, ipse cogitatione expleat. Hoc omne genus Graece *μεταφορά*, Latine *translatio* appellatur, quia in eo vocabulum a notione, cujus proprium est, in aliam similem *μεταφέρεται*, transfertur. Ex quo apparet metaphoram in *troporum*, qui vocantur, numerum esse referendam; eorum enim vis in eo consistit, ut vocabulum alia significatione, quam quae ejus propria est, usurpetur. Inter omnes constat cetera genera troporum esse metonymiam et synecdochen. Quae quam vim habeant quaque re a metaphora differant, ita notum esse arbitror, ut in iis explicandis hic non opus sit commorari. Ut ad metaphoram redeam, ea aut in uno vocabulo, sive substantivo sive adjectivo sive verbo, potest inesse, velut quum Homerus regem dicit *ποιμένα λαῶν*; aut pertinet ad plura vocabula vel etiam totam sententiam, sive haec una enunciatione continetur sive per plures vel seriem enunciationum patet. Exemplo sit Il. 19, 221: *(φυλόπιδος) ἧστε πλείστην μὲν καλάμην χθονὶ χαλκὸς ἔχευεν, ἄμητος δ' ὀλίγιστος.* Illam *simplicem*, hanc *explicatam* metaphoram appellare volo. Ab explicata metaphora discernenda est *allegoria*, quam ter-

tium pono metaphorae genus. Etiam in allegoria una vel plures enunciationes sic efferuntur, ut alia vis vocabulis, quam quae eorum propria est, subjicienda sit. Eo autem differunt duo illa genera, quod in explicata metaphora insertis vocabulis, quae ad rem propriam spectant, plane ostenditur, quorsus comparatio referenda sit; in allegoria comparatio prorsus latet et legentibus permittitur, ut eam ex rerum contextu conjiciendo inveniant, tamquam si aenigma solvant. Quod quidem ipsum nomen allegoriae satis declarat; alia enim in ea dicit aliquis *(ἀλληγορεῖ)*, quam quae intelligi velit. Quum Homerica carmina nullum allegoriae exemplum suppeditent, vim ejus et ab explicata metaphora differentiam exemplis ex Aeschylo sumptis declarare conabor. Suppl. 760 *ἀλλ' ἔστι φήμη τοὺς λύκους κρείσσους κυνῶν εἶναι* aperte allegoria est. Dicit enim poeta lupos canibus validiores esse, sed huic sententiae aliam subjiciendam esse vim et hanc quidem, ut Argivi filios Aegypti fortitudine superent, nemo non sentit, quamquam id nequaquam ipsis verbis indicatur. Sed quum Ag. 1005 dicit: *πότμος εὐθυπορῶν ἀνδρὸς ἔπαισεν ἄφαντον ἕρμα,* metaphora explicata utitur, quia voce *πότμος,* quo imaginem illisae navis relatam velit, plane enunciat. Recte iam Quintilianus ut allegoriae exemplum affert nobilissimum illud Horatii carmen, in quo describit, quomodo navis tempestate jactetur; nullo enim verbo significat se de civitate cogitari velle. Nimis arcte quidam vim allegoriae definiunt, quum ejus proprium esse dicunt, quod ad praeceptum aliquod tradendum spectet. Nam etiamsi maxime in quibusdam poesis didacticae generibus, ut in aenigmate, parabola, fabula, adhibetur, tamen usus ejus his finibus non continetur, sed latius patet neque ab ullo carminum genere alienus est.

Sequitur, ut doceam, quid inter se differant metaphora et catachresis; quae cognatae sunt illae quidem, ut saepe confundi soleant, sed etiam diversae. Antiqui rhetores discrimen earum vulgo ita statuebant, ut dicerent metaphoram esse vocabulum a loco suo in eam notionem translatum, quam etiam proprio nomine appellare liceret, catachresin exsistere, quum ea res, ad quam translatio facta esset, ipsa proprio nomine careret. Sic Trypho *περὶ τρόπων* (Spengel,

Rhetores Graeci, Vol. III, p. 193): *διαφέρει δὲ μεταφορὰ καὶ κατάχρησις, ὅτι ἡ μὲν μεταφορὰ ἀπὸ κατονομαζομένου ἐπὶ κατονομαζόμενον λέγεται, ἡ δὲ κατάχρησις ἀπὸ κατονομαζομένου ἐπὶ ἀκατονόμαστον.* Vide Quintil. Inst. Orat. 8, 6, 35. Neque illi tota re errant; plerumque per metaphoram vocabula in res proprium nomen habentes, per catachresin in res proprio nomine carentes transferuntur. At si id agitur, ut notiones pressius et subtilius definiantur, vereor, ne aliter, quid inter eas intersit, statuere oporteat [1]). Ut supra ostendi, metaphora exsistit, quum duae res, quae propter similitudinem quandam comparantur, ita permiscentur et in unum confunduntur, ut una pro altera ponatur; quod quum ad orationem ornatam et nitentem efficiendam spectet, apparet metaphoram praesertim tum adhiberi, quum eandem rem alio modo satis perspicuo illo quidem, sed minus insigni et illustri significare liceat. Attamen nihil impedit, quominus ita res illustrentur, quibus propria vocabula desint; quod etiam accidisse, antiquioribus saltem temporibus, quum linguae verbis inopes essent, infra demonstrabo. Catachresis nullam talem duarum rerum comparationem habet; sed in eo consistit, ut res aliqua nomine, quod proprie non huic rei, sed alii propinquae conveniat, cum quadam licentia denotetur; quod etiam tum fieri potest, quum proprio vocabulo uti licebat, quamquam id rarius fit et certe improbandum est. Catachresis est igitur, quum una vocalis vocatur *συλλαβή*, quod vocabulum proprie significat plurium comprehensionem literarum; catachresis etiam, quum simulacrum speciem feminae repraesentans *ἀνδριάς*, praefectus quinqueremis *τριήραρχος* appellatur. Ex iis, quae dixi, apparere credo catachreses ad genus imaginum non pertinere.

Ut supra demonstravi non omnes comparationes esse imagines, ita etiam, licet alia ratione, dici potest non omnes metaphoras esse imagines. Quod quo melius intelligatur, necesse est paulum considerare, quo modo linguae sensim excultae et auctae sint. Inter omnes, qui naturae linguarum cognoscendae operam dederunt, nunc constat eas facultatem

[1]) Vide Mützell, De translationum quae vocantur apud Curtium usu. Berol. 1842, p. 7.

novas fingendi *radices*, quae vocantur, sensim idque iam antiquissimis temporibus amisisse. Quare quum homines novas notiones invenirent, quas ad significandas etiam novis vocabulis opus erat, duplici ratione agebant. Aut ex iis radicibus, quae erant, derivatione et compositione nova vocabula efficiebant; aut vocabula integra per metaphoram ex propriis in alias significationes transferebant. Quae quum frequenter ita translate adhibita quasi usu trita essent, saepe factum est, ut primaria vis obscuraretur et secundaria tantum ac translata in iis cogitaretur. Interdum primaria vis plane evanuit; saepius etiam utraque vis simul in usu erat, ita tamen, ut loquentes, utra earum esset propria, utra translata, non jam sentirent neque, quum hac uterentur, etiam illam in animo haberent. Quare hujusmodi vocabula numis similia sunt, quorum nota usu ita contrita est, ut agnosci non possit, sed tamen in commercio hominum versantur. Et quum hominum proprium sit ea prius animo percipere, quae sensibus, quam ea, quae sola mente percipiantur, non est dubitandum, quin radices vocabulorum et eae voces, quae ex iis primae ducerentur, omnes ad unum ad res externas et corporeas pertinuerint. Deinde quum ad eum cultum et humanitatem progressi essent, ut etiam notiones a sensibus sevocatas amplecti inciperent, ad has nomina trahebant a rebus corporeis, quae cum iis similitudinem quandam prae se ferre viderentur. Hac via linguas copia verborum auctas esse iam veteres intellexisse videntur, quum dicerent metaphoram primo necessitatis causa institutam, quia vocabulis ad res propriis nominibus carentes significandas opus esset, deinde etiam ad ornatum orationis adhiberi coeptam esse. Illud quidem dubitari potest, utrum prima causa translationis a tali necessitate inopiaque repetenda sit an a naturali quodam studio res similes comparandi, ex quo cetera imaginum genera profecta sunt. Certum tamen est, antiquioribus saltem temporibus, homines praecipue transferendis vocabulis sibi paravisse, quibus notiones declarare possent, quas semper novas progrediente cultu et humanitate animis informarent. Quod quum ita sit, non mirum est unumquemque sermonem ita metaphoris abundare, ut pauca habeat vocabula, in quibus, si ad originem eorum redimus, nihil translatum inveniatur.

Quin etiam eas voces, quae maxime a perceptione sensuum recedunt, ut verba substantiva, negationes, conjunctiones, initio aliquid, quod tamquam tactu et visu manifestum esset, significasse ea doctrina, quae in linguis comparandis versatur, satis demonstravit. Quum in hac disputatione mihi proposuerim, ut imagines pertractarem, quarum proprium est duas res inter se comparare, manifestum est nullas metaphoras hic in disceptationem cadere, quae suam propriam vim plane exuerint. Neminem autem praeterit in sermone ab usu intermisso saepe difficillimum esse dijudicatu, utrum in translato quodam vocabulo aliquid propriae significationis resideat an omnis ejus memoria sit exstincta. Quin in multis id ne posse quidem inveniri arbitror. Hinc mihi compluribus locis orta est dubitatio, utrum metaphora esset statuenda necne; omnino eam rationem secutus sum, ut eas translationes praeterirem, quae in frequenti usu apud Graecos scriptores essent. Sed quum in rebus dubiis nimis quam parum dicere maluerim, vereor, ne nonnullae metaphorae a me sint commemoratae, quas alii melius abesse potuisse putabunt.

Si vim et naturam similitudinis et metaphorae recte constituimus, obscurum esse non potest, quid duae illae formae generi imaginis subjectae inter se commune habeant, quo efficiatur, ut, quum earum apud scriptorem quendam usus considerandus est, non separatae, quod vulgo fit, sed conjunctae debeant tractari. Qui definitiones supra allatas diligenter consideraverit, facile agnoscat similitudinem et metaphoram ea tantum ratione, qua enuntientur, differre, re ipsa autem cohaerere et eadem ex causa esse profectas. Quae sit haec causa, si quaerimus, eam in cupiditate quadam homini innata positam esse invenimus. Natura enim homini tributum est, ut ex rebus inter se comparandis delectationem capiat; quamobrem quum aut in dicendo aut in scribendo alicujus rei, qua mens acriter afficiatur, mentionem fecit, ad aliam rem cogitatione deflectere solet, quae propter insignem similitudinem, quam cum illa habet, ultro se offerat animo. Quum id, quod sic animo occurrit, verbis eloquitur, non tam hoc spectat, ut sententiam suam magis dilucidam et ad intelligendum apertam reddat, quam ut ei rei, cujus

tamquam duae species ante oculos proponantur, majorem vim et dignitatem conciliet. Ita a re proposita ad alias aberrans et suo ipsius motu celeriter agitato gaudet animus et rerum varietate, qua orationem suam distinguit, non mediocriter delectatur atque recreatur. Neque minus id assequitur, ut eos, qui audiunt vel legunt, simili jucunditatis sensu afficiat. Imprimis frequens et consuetudine omnium linguarum celebratus est usus metaphorae; quae etiamsi primo propter inopiam verborum adhiberi coepta est, quod tamen dubito, certe in linguis magis excultis ex illa insita comparandi cupiditate nascitur. Hoc ita esse eo quoque apparet, quod, quae per metaphoram effertur cogitatio, eam semper alio eoque magis perspicuo modo significare licet. Metaphora tum exsistit, quum animus similitudine inter duas res intercedente ita percutitur, ut eas, tamquam si idem valeant, permisceat et in unum confundat. Delectatio, quam inde percipiunt homines, in eo constat, »quod», ut verbis G. Hermanni utar, »quum aliud pro alio nominatur, animo quasi campus aperitur, in quem aliarum rerum varietate allectus possit excurrere».

Demonstrasse mihi videor imagines, si ad veram suam causam atque rationem revocantur, non esse arte factas, non esse extrinsecus arcessitas, non a rhetore nescio quo inventas, ut aures audientium fuco orationis permulceret. Ex cupiditate in natura humana penitus insidente natae sunt; quare omnium aetatum, omnium gentium, omnium linguarum communes sunt. Neque est ullum dicendi genus, quod ornatum imaginum non requirat. Iis utuntur et solutae et poeticae orationis scriptores; neque sermo quotidianus neque grave genus dicendi oratoris iis plane carere potest. Quamquam igitur imagines a nullo genere dicendi abhorrent, vel maxime propriae sunt poeticae dictionis, quae eo ipso a prosa oratione differt, quod in imaginibus adhibendis majorem libertatem sibi vindicat. Nam quum iis, qui soluta oratione utuntur, non facile concedatur, si in illis ornamentis profusi sunt, poetae in hac re multo et audaciores et uberiores esse possunt atque etiam debent. Quod cur ita sit, ex ratione artis poeticae facile intelligitur. Nam quum poetarum tamquam munus sit delectationem movere,

non, quod solutae orationis scriptores volunt, aliquid perspicue docere, iis necesse est magis ad sensus hominum quam ad mentem et cogitationem se convertere. Vis autem imaginis in eo posita est, ut, quae ea illustratur notio, speciem quandam sensus acrius ferientem induat et paene oculis subjiciatur; quod quum venuste et eleganter fit, ut imago et ipsa per se pulchram speciem praebeat et eam rem, ad quam adhibetur, apta similitudine illustret, vix dici potest, quantum ad delectationem movendam valeat. Supra commemoravi voces linguae usu detritas eam vim sensus acriter pellentem, quae primo iis subjecta erat, magis magisque amittere; poetarum est iis tamquam vitam reddere, ne sint inania signa, sed vera visa in animis imprimant; quod ad assequendum nihil imaginibus efficacius est. Hac de causa omnes omnium temporum poetae, quocunque in genere carminum versati sunt, operam dederunt, ut dictionem suam similitudinibus et praesertim metaphoris ornarent. Quid? quod usus imaginum ita poetis peculiaris existimatur, ut, si quis alius generis scriptor eas adhibet, id non propria et sua, sed poetica facultate facere putetur. Nam quum aliquem poetice vel loqui vel scribere dicimus, quid aliud dicimus quam eum oratione imaginibus distincta uti?

Jam vero illud neminem fugit, dictionem imaginibus frequentem, quamquam a nullo eorum trium generum, in quae vulgo ars poetica distribuitur, abhorret, tamen non pariter omnibus convenire. Omnino fieri solet, ut, quo majore ardore incitatur poeta, eo magis a rebus, in quibus oratio versatur, ad alias aberret, quae propter similitudinem animum ejus alliciant. Cui rei consentaneum est, quod imaginibus maxime utuntur lyrici, minime epici, inter eos medium tenent dramatici. Longum est hujus rei causas uberius explicare et exemplis confirmare. Quare satis habebo commemorasse ita saltem apud Graecos poetas esse, quo melius intelligatur, quare in tragoediis Aeschyli imagines frequentiores sint in iis partibus, quae lyricae vocari possunt, ut in canticis chori et in κομμοῖς, pauciores autem in iis partibus, quae propius ad rationem epicorum accedunt, i. e. in dialogo.

Poetas Graecos legentes non animadvertere non possumus eos in imaginibus adhibendis multo parciores esse quam vulgo aliarum gentium poetas. Veteres Graeci quum omnino id innatum et insitum haberent, ut justam quandam mediocritatem, quae inter nimium et parum esset, servare scirent, tum in ornatu orationis ab omni intemperantia abhorrebant. Quo erant in artibus aestimandis eleganti et exquisito judicio, fieri non potuit, quin intelligerent etiam imagines tum solum, quum modus in iis adhiberetur, venustatem et dignitatem orationi addere; nimiam vero copiam vitandam esse, ut quae facile sententiam obscuraret et satietatem ac taedium multo magis quam delectationem moveret. Quare omnes eorum poetae, qui quidem antiquioribus temporibus florerent, genere dicendi utebantur eleganti et candido, quod inter nimiam ubertatem et exilitatem medium erat. Neque ex eorum numero meo quidem judicio excipiendus est Aeschylus. Iis igitur assentiri non possum, qui immoderatum imaginum usum dictionis Aeschyleae proprium esse dicunt; valde miror, quo jure Bernhardy, acutissimus ille et doctissimus antiquarum literarum existimator, eum prope ad Orientalium luxuriam et ubertatem accessisse judicaverit [1]). Quod judicium, si universum genus scribendi Aeschyli respexeris, falsum esse contendo. Ut iam supra monui, abundantiam et copiam imaginum tum solum adhibet, quum ipsius rei gravitas et major impetus animi solito majorem etiam in verbis splendorem desiderare videntur; quod saepissime in lyricis partibus, rarius in dialogo fieri dixi. At in dialogo, qui tragoediarum ejus longe maxima est pars, non saepe a proprio dicendi modo discedit, multo rarius quam vulgo recentiores poetae, ne dicam Orientales, assolent. Multis locis longa series versuum est, in qua metaphoram aut nullam reperiamus aut talem, quae tam usitata sit, ut eam metaphoram esse vix sentiamus. Nonnulla etiam chori cantica eandem simplicitatem habent, sicut omnia in Prometheo. Hac tamquam parsimonia efficit poeta, ut id, quod imagine illuminatum sit, eo magis exstet et emineat; quod non asse-

---

[1]) Grundriss der Griechischen Litteratur. Zweiter Theil, zweite Abtheilung p. 243.

queretur, si in his ornamentis dicendi magis prodigus esset. Sed a cetera simplicitate vel maxime discrepant quaedam stasima, quae quum in rebus elatis et ad religionem pertinentibus versentur, magnam contentionem dicendi postulent. In his quum ipsius rei gravitate teneatur et quasi absorbeatur, saepe tam alte evolat, tam incitato cursu fertur, tanta varietate et splendore colorum utitur, ut vestigia ingressumque ejus vix persequi possimus. In talibus locis non raro in obscuritatem incidit; tamen incertum est, an hujus obscuritatis causa magna ex parte in depravatas scripturas conferri debeat. Ejus generis sunt omnia stasima Agamemnonis, primum stasimum Choephororum, primum Supplicum. Quos quidem et nonnullos alios similes locos si quis cum floridis illis et fervidis carminibus poetarum Orientalium comparare voluerit, haud repugnabo. Sed inter Orientales et Aeschylum id intercedit discrimen, quod apud illos hi dicendi flores, de quibus quaerimus, per omnem orationem aequabiliter fusi sunt, quo fit, ut saepe similitudinis satietate defatigent; apud hunc paucis quibusdam et insignibus locis reservantur. Neque in hoc satis causae esse videtur, quare dictionem Aeschyli omnino tumidam et inflatam esse dicamus.

Apud Aeschylum non modo lyricae et dialogicae partes, sed etiam singulae tragoediae habitu ipso et colore dictionis inter se distant. Maxime nudus et rectus et incomptus est in *Prometheo;* quare haec tragoedia omnium facillima est intellectu. Non multo frequentiores sunt imagines in *Persis*, quae tota fere latum quoddam et vetustatis colore tinctum genus dicendi habet. Etiam in *Eumenidibus*, si duae ultimae strophae secundi stasimi et pauci alii loci excipiuntur, dictione simplici et incompta utitur, quae ad prosam orationem prope accedat. Imaginibus magis distinctae sunt hoc ordine: *Supplices*, *Septem contra Thebas*, *Choephori*. Sed imaginum et frequentia et splendore inter omnes eminet *Agamemno;* quo adducor, ut credam eos, qui sermonem imaginibus abundantem Aeschyli proprium esse dixerunt, ex Agamemnone judicium fecisse, quippe quae omnium maxime nota esset. In ea non modo lyricae partes metaphoris et similitudinibus audacissimis abundant; etiam in dialogo nobis identidem

occurrunt. Ut exempla afferam, tot metaphorae uno loco cumulatae, quot videmus Ag. vv 740—743 et 895—901, neque alibi apud Aeschylum neque certe apud alium quemquam poetam Graecum inveniuntur. Haec magnificentia et granditas dictionis ad eam elationem animi accommodata est, quam tragoedia illa inde a primo versu usque ad ultimum spirat. Nusquam cupiditates et scelera hominum, nusquam vicissitudines fortunae humanae gravius et ad animos commovendos aptius describuntur; nusquam graviores et excelsiores sententiae a choro pronuntiantur. Cui altitudini rerum verba tam apta sunt et congruentia, ut ea res ipsae peperisse videantur. Sed etiam aliae rationes reperiri possunt, cur quibusdam locis Agamemnonis Aeschylus oratione imaginibus crebriore usus sit; velut quum chorus praesensiones suas mali futuri tecte et per ambages significat, quia eas palam pronuntiare non audet. Multis interpretibus offensioni fuerunt cumulatio illa metaphorarum, quam Ag. 895—901 Clytaemnestra maritum ex bello reducem salutans effundit; sed, nisi fallor, Aeschylus eo consilio eam ita loquentem inducit, ut fallaciam ejus et simulationem declaret; mentientis enim est vera animi sensa turba inanium verborum tegere. Ita si versus illos intelligimus, non est, quod eos cum Dindorfio pro interpolatis habeamus. Iam vero quum oratio Cassandrae vaticinantis imaginibus iisque saepe obscuris abundat, nemo non sentit, quantum hoc personae furentis vatis conveniat. Inter omnes constat in oraculis veterum Graecorum sententiam non palam et aperte, sed per ambages et circuitiones enuntiari solitam esse.

Ut iam ad res, quibuscum comparatio fit, me convertam, in iis deligendis nullis fere terminis circumscriptus est poeta; vix ulla est res, unde imago peti non possit, modo cum re, ad quam adhibetur, aptam similitudinem contineat. Quam apte et decenter etiam cum rebus humillimis et levissimis comparatio fieri possit, multae Homericae similitudines demonstrant. Homerus non dubitat animum indomitum Menelai similitudine illustrare muscae, quae, quamquam abigitur, semper tamen mordere gestit [1]); Trojanos non magis Aiacem

[1]) Il. 17, 570 sequ.

fugare posse dicit, quam infirmi pueri asinum [1]); quae similitudines etsi a rebus ceteroquin quam maxime disparibus sumuntur, tamen ejusmodi sunt, ut ad eam ipsam rem, de qua agitur, illustrandam nihil aptius, nihil insignius cogitari possit. Si quis nunc tali imagine uteretur, vereor, ne cachinnum commoveret; absurdum enim et ridiculum videretur fortissimum et nobilissimum heroem cum contemptissima bestia comparari. Id Homero vix erat verendum. Ea erat antiquae aetatis hominum simplicitas, ut in rebus inter se comparandis id, quod tertium comparationis continebat, tenere possent, animo a cetera diversitate, quantacunque erat, sevocato. Hinc nata est illustris illa et perspicua similitudo, quam in omnibus Homeri comparationibus admiramur. Ab hac simplicitate iam tragici paullum discesserant. Quum enim ad rerum granditatem etiam orationis habitum accommodare studerent, postulabant, ut res comparata alteri rei non modo una ratione similis, sed etiam dignitate quadam conveniens esset; velut heroes cum bestiis comparantes potius nobiles bestias, ut leonem, equum, quam contemptas eligebant. Tamen et ipsi multis imaginibus delectabantur, quae nobis abjectae et granditate tragoediae minus dignae videantur. Sed de hac re plura infra. Hic satis habeo statuisse in quavis imagine rem in eo verti, utrum res comparata cum altera re speciosam et illustrem similitudinem habeat necne; quod nunc quaedam res, velut quaedam animalia, ita in gravi dicendi genere adhiberi non possunt, id fastidio quodam delicato et hac calumniandi libidine, quae omnia in risum vertat, factum esse puto.

Considerandum est etiam, quae ratio inter res comparatas intercedat; quam quidem si respicimus, duo genera imaginum discerni possunt, quorum alterum *descendens*, alterum *ascendens* appellare licet. Illud longe usitatissimum est, in quo a superiore ad inferius, a re a sensibus magis sevocata ad rem iis magis subjectam transitur. Nam quum is, qui imagine utitur, id spectet, ut speciem quam maxime exprèssam effingat, qua tamquam re praesenti moveatur animus, fieri non potest, quin ad ea potissimum se convertat, quae sensus ejus acerrime impellant. Etiam quum res, quarum utraque sub sensus cadit,

[1]) Il. 11, 558 sequ.

Personificatio

inter se comparantur, semper fere ea, quae comparationis causa affertur, ejusmodi est, ut ad sensus comparantis movendos majorem vim habeat. At contra interdum fieri solet, ut comparatio ab inferiore ad superius, a re inanima ad animatam, a re sensibus subjecta ad rem, quae a corpore remota sit et sola mente percipiatur, tamquam ascendat. Delectatio, quam ex hujusmodi imaginibus homines percipiunt, in eo consistit, ut ita quodam modo anima et mens rebus inanimis infundatur. Hujus generis sunt Homerica *γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθών* [1], *δοῦρα λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι* [2]. Quamquam igitur tales imagines apud Graecos poetas inveniuntur, tamen apud eos multo minus frequentes sunt, quam vulgo apud recentiores, et eo rariores, quo quisque est antiquior. Natura enim humani ingenii secum fert, ut, quo quisque est minus doctrina excultus, eo magis animum ad res externas et corporeas convertat. Hac de causa factum est, ut in carminibus Homeri eae imagines, quas ascendentes appellavimus, perpaucae essent. Aetate tragicorum, quum homines cogitationem a consuetudine oculorum magis ad suam ipsorum mentem advocare inciperent, cum rebus animatis frequentius comparare coeperunt. Tamen et illi et alii Graeci poetae in hujusmodi comparationibus admodum parci erant et eas imagines, quae ad res naturae spectarent, praeferebant; in quo sanum illud et intelligens in rebus pulchris judicium, quo omnino excellebant, vel maxime apparere videtur. Longe aliter faciunt multi recentiores, praesertim lyrici, qui saepe tales imagines prae ceteris in deliciis habent, quibus res oculis subjectae cum rebus a corpore sejunctis comparentur. Quod etsi perquam venuste et eleganter fieri posse confitendum est, tamen prudenter quidam scriptores aesthetici, qui vocantur, praecipere mihi videntur magnam in iis copiam vituperandam et diligenter cavendam esse, quia tales imagines, nisi modice et parce adhibeantur, facile putidum quoddam et arcessitum et inflatum habeant [3]. — Rationem dividendi secuti ei cognatam, quam supra protuli, antiqui rhetores et grammatici paene uno consensu quattuor meta-

[1] Il. 19, 362.
[2] Il. 11, 574; 21, 70.
[3] VISCHER, Aesthetik III, p. 1229.

phorae partes constituerunt: Trypho *περὶ τρόπων* (Spengel, Rhetores Graeci III p. 192) *γίνεται δὲ ἡ μεταφορὰ τετραχῶς, ἀπὸ ἐμψύχων ἐπὶ ἔμψυχα —, ἀπὸ ἀψύχων ἐπὶ ἄψυχα —, ἀπὸ ἐμψύχων ἐπὶ ἄψυχα —, ἀπὸ ἀψύχων ἐπὶ ἔμψυχα.* Quint. Inst. Orat. 8, 6, 9, 10. In easdem partes etiam similitudines distribuere licet. Facile enim apparet partitionem illam ita esse comparatam, ut nulla, quae fieri cogitarique possit, imago ea non contineatur. Quare plerosque, qui de imaginibus scripserunt, eam secutos esse video. Sed quum, si eam sequemur, necessario futurum sit, ut eae imagines, quae ab eodem rerum genere depromptae sunt, separentur et divellantur, melius duxi in disputatione mea ab illa vulgari dividendi ratione discedere et imagines Aeschyli ita describere, ut id solum respiciam, *a quibus rebus* sumptae sint. Quam ob rem magnopere interesse credam imagines ab iisdem vel finitimis rebus sumptas uno in conspectu videri, jam paullo uberius est explicandum.

Supra ostendi vim imaginis in eo positam esse, ut res aliqua cum alia, quae animum magis moveat, et saepissime cum re, quae sensus acrius impellat, comparetur. Sed quum animi hominum iis maxime rebus moveantur, quae iis maxime curae sint quibusque delectentur, fieri non potest, quin, quum aliquis comparare vult, tales res primae animo ejus occurrant. Hac de causa fit, ut apud multos populos quaedam genera imaginum et in sermone quotidiano et apud scriptores praeter cetera in usu sint. Hae imagines ex natura eorum locorum sumptae esse solent, in quibus vivit populus, ex iis negotiis et occupationibus, in quibus maxime versatur, ex iis denique rebus, quas praecipuo studio et amore amplectitur. Quis est, qui nesciat, quam referta sit Latina lingua translationibus a rebus militaribus et forensibus sumptis? Ut ad nostrae aetatis homines me convertam, agricolam, nautam, opificem sui quemque artificii vocabula et locutiones ad alias res transferre quis est, qui non audiverit? Quid multa? res ipsa per se tam manifesta est, ut eam pluribus exemplis comprobare non opus sit. Si igitur invenimus scriptorem quendam imagines suas a quibusdam rebus vel naturae vel humanae vitae imprimis duxisse, inde nostro jure colligere possumus, qualis fuerit natura eorum locorum,

in quibus quisque vixit, quibusque negotiis et occupationibus, si non ipse, at tamen populus, cujus civis erat, fuerit deditus. Hanc ob causam et utile et jucundum fore putavi, si imagines Aeschyli ita percensuissem, ut omnes, quae easdem res spectarent, unum in locum conferrem. Ita apparebit eum nullas saepius adhibuisse quam eas, quae a navigatione et piscatura, a maris fluctibus et tempestatibus, ab iis denique rebus, quae ad mare pertinent, sint petitae. Neque id mirum est; Athensiensis erat, quem populum inde ab antiquissimis temporibus ad mare sedes suas habuisse et navigationis studiosissimum fuisse constat; ea aetate vixit, quum Athenienses ad maritimi imperii principatum pervenerunt atque etiam mercatura maritima apud eos laetissime effloruit. Aeschylum ipsum et proeliis navalibus apud Artemisium ac Salamina factis interfuisse et ad Siciliam navigasse veteres scriptores testantur. Earum quoque imaginum magna copia apud Aeschylum invenitur, quae ab agricultura et rebus cum ea conjunctis, ut ab equis et aliis jumentis regendis, desumptae sunt; non paucae venationem et rem pecuariam spectant. Notum est Athenienses illa quoque artificia non modo ad victum necessaria existimasse, sed etiam magno studio amplexos esse et eos cives, qui in iis versarentur, magno in honore habuisse. Maxime autem animus poetae ad naturam terrae suae quum inanimam tum praesertim animatam se convertit; ex quo videre possumus, quantus fuerit veterum Graecorum naturae amor, quantumque rebus ejus observandis delectati sint. Haec omnia genera imaginum, quae Aeschylo praeter cetera placuisse dixi, etiam apud alios ejusdem aetatis poetas frequentissima sunt. Invenio nonnullos doctos viros inter tres illos tragicos discrimen quoddam in rebus, a quibus imagines suas sumpserint, statuere. Ita Schneidewin Aeschylum et Sophoclem in hac re multum inter se differre contendit. Ipsum audiamus (in praefatione editionis tragoediarum Sophoclis. Berlin 1860; p. 39): — »gleichwie die Bilderwelt beider Dichter weit von einander absticht. Aeschylos zieht gern Raubthiere herbei und weilt mit Behagen auf dem weiten Meere, bei Jagd und Fischerei, wogegen Sophokles es vorzieht, Hausthiere, namentlich das edle Ross, und Singvögel zu Vergleichen

zu benutzen und das stille Reich der Pflanzenwelt zu beobachten. Auch sind ihm manche Metaphern und Bilder eigen, welche er den sinnigen Erfindungen der Menschen entlehnt". Quam quidem sententiam summi viri probare non possum, sed arbitror eum idcirco ita judicasse, quia alterae imagines granditati Aeschyli, alterae miti et placido ingenio (γλυκύτητι) Sophoclis convenire viderentur, neque diligenter in rem ipsam inquisivisse. Quantum ego video, inter imagines ab Aeschylo et Sophocle adhibitas, si res, unde sumptae sunt, respiciuntur, nulla commemoratu digna differentia intercedit. Omnia illa genera, quae Schneidewin commemoravit, utrique poetae aeque familiaria sunt. Etsi cujusdam generis imaginum uno vel altero plura exempla apud alterutrum eorum inveniantur, id casu factum neque ullius momenti habendum puto. Quod ad Euripidem attinet, me carmina ejus minus nota habere confiteor, quam ut de imaginibus, quibus usus est, quidquam affirmare audeam [1]. Certum est tamen eas multo pauciores esse quam et apud Aeschylum et apud Sophoclem.

Quod supra dixi, homines in comparando ad eas res se convertere, quae iis maxime curae essent, quasque maxime cognitas haberent, tamen non ita accipiendum est, quasi in omnes valeat neque ullam exceptionem admittat. Atque primum quidem neminem praeterit illud magis in eos cadere, qui nativo et simplici utuntur dicendi genere, quam in eos, qui sive in dicendo sive in scribendo artificiosi sunt. Alteri enim id proprium habent, ut, quum rem aliquam comparatione vel splendidius exornare vel apertius declarare volunt, id semper arripiant, quod primum et tamquam sua sponte in mentem incidat; alteri autem saepe studiosius quaerunt, quibus orationem suam illustrare possint, etiamsi a rebus remotis minusque cognitis petenda sunt. Omnibus, qui Latinis literis eruditi sunt, notum est apud Romanos exacta aurea, quae vocatur, aetate, quum et lingua peregrinitate infusa corrumpi et elegans sanumque artium judicium in-

[1]) Radtke, De tropis apud tragicos Graecos, p. 35: "Et ab Aeschylo et a Sophocle Euripides hac re distat, quod splendidissimam quamque et munditiae nitorisque plenissimam sectatur metaphoram, quamvis sit minus perspicua".

terire inciperet, praesertim tales translationes placuisse, quae a rebus remotis, incognitis, obsoletis peterentur. Nostra aetate neque in monumentis literarum neque in sermone hominum humanitate politorum certa quaedam genera imaginum invenire possumus, quibus vel singuli populi vel singuli homines prae ceteris utantur. Cujus rei causa sine dubio est haec aequabilis et omnis generis doctrina, qua nunc vulgo sunt imbuti homines; quae secum fert, ut quum in aliis rebus tum in sermone multae dissimilitudines exstinguantur. At si quis animum attenderit, quo modo homines de plebe loquantur, inveniet eos quum omnino imagines tum praesertim metaphoras et multo saepius quam vulgo eruditos adhibere et ex rebus sibi maxime caris et cognitis desumere, sicut opifices ex suo quemque artificio. Ut ad Aeschylum revertar, satis constat ea aetate, qua ille florebat, scriptionem nondum a Sophistis ad artem et praecepta esse revocatam. Omnia in eo magis sunt naturae quam artis. Hinc nata est fabella illa ab Athenaeo tradita, Sophoclem Aeschylo dixisse eum, etiamsi recta faceret, ea tamen imprudentem facere [1]). Quod quidem quum in toto genere dicendi ejus cernatur, tum etiam inde apparet, quod imagines, quas orationi suae inserit, maximam partem ex communi consuetudine vitae Atheniensium sumptae sunt.

Alia quoque causa fieri potest, ut interdum imagines a rebus minus cognitis ducantur. Non raro enim accidit, ut homines, postquam imago quaedam in frequentem usum venit, eam etiam tunc adhibeant, quum ipsa res, unde sumpta est, sub aspectum cadere desiit. Ita Aeschylus saepe fortes viros cum leonibus comparat; at vix probabile est leones id temporis in Attica fuisse; fortasse hoc animal ne vidit quidem umquam. Sed inde ab eo tempore, quo leones in terris a Graecis incultis inveniebantur, moris fuit, ut, quotiescunque insolita quaedam fortitudo vel ferocitas erat declaranda, leonem nominarent. Non dubium est, quin Aeschylus multas ejusmodi locutiones, quae in ore civium ejus vigebant, usurpaverit. Hoc aditum nobis parat ad rem commemorandam,

---

[1]) X, p. 428 F: *μεθύων γοῦν ἔγραφε τὰς τραγῳδίας. διὸ καὶ Σοφοκλῆς αὐτῷ μεμφόμενος ἔλεγεν, ὅτι, ὦ Αἰσχύλε, εἰ καὶ τὰ δέοντα ποιεῖς, ἀλλ' οὖν οὐκ εἰδώς γε ποιεῖς.*

quae tragicorum propria esse videtur. Apud eos in multis imaginibus adhibendis consuetudo quaedam increbruit, ut, ubicunque quasdam res illustrare vel quadam ratione animos audientium movere volebant, semper fere easdem comparationes adhiberent. Usitatissimas earum congessit Hoppe (De comparationum et metaphorarum apud tragicos Graecos usu, p. 6): "fortunae vicissitudines ubique cum ventorum flatibus, res adversas cum maris fluctibus, secundas res cum luce et die, studia hominum cum palaestrae lusu, hominum procreationem cum agricultura, dolorem amoremque cum stimulo, hominum caedes urbiumque expugnationes cum venatione, necessitatem cum jugo comparatam videmus. Iam animalia quae comparandi causa afferuntur, certas quasdam virtutes repraesentant: leones plerumque cum fortitudine ferocitatem et sanguinis cupiditatem; lupi voracitatem et crudelitatem; vulpes calliditatem; canes vigilantiam et investigandi sagacitatem; equi indomitum et impetuosum animum; angues subdolam insidiosamque malitiam; lusciniae maerorem; aquilae fortitudinem pugnacemque heroum animum".

Hae et nonnullae aliae comparationes a tragicis et fortasse ab aliis quoque poetis ita erant frequentatae, ut paene in vim formularum abirent. Quum ex iis, quae ante Aeschylum literis mandata sunt, tam pauca ad nostram aetatem manserint, in plerisque illarum comparationum decerni non potest, utrum Aeschylus eas ab aliis scriptoribus et a communi loquendi consuetudine asciverit, an sint ab illo inventae et deinde tragoediis ejus celebratae. Certum tamen est multarum originem ab Homero esse repetendam, ex quo omnes fere, qui postea scripsere, tamquam ex uberrimo fonte hauserunt. Neque id mirum videri potest, si consideramus, quanta admiratione, quibus paene divinis honoribus quum omnes Graeci tum praesertim Athenienses nobilissimum illum poetam affecerint. Omnes fere carmina ejus in ludis studiosissime legebant, multi ediscebant [1]); postea hanc scientiam recitationibus rhapsodorum audiendis tuebantur et conservabant; nemini, qui quidem impolitus existimari nollet, eorum ignaro esse licebat. Neque praetereundus est mos

[1]) Xenoph. Symp. 3, 5.

ille Graecorum, ut in conviviis sermones de rebus ex Homero sumptis instituerentur. Et quum perfecti poetae exemplar haberetur, fieri non potuit, quin alii poetae eum sibi ad imitandum proponerent. Neque vero epici modo stili formam et speciem in omnem posteritatem constituit et quasi ratam fecit, sed etiam ad genus dicendi tragicorum formandum permultum valuit [1]). Atque Aeschylus quidem quantum ab Homero sumpsisset, jam veteres animadverterunt. Notum est illud, quod Athenaeus tradidit, Aeschylum ipsum carmina sua *τεμάχη τῶν μεγάλων δείπνων Ὁμήρου* appellasse. Quod dictum, etsi maxime ad res et argumenta tragoediarum, quae maximam partem ex fabulis ab Homero narratis sunt petita, referendum sit, tamen latius patere atque etiam verba et orationem spectare mea quidem opinio est. Quantum Homerus ad orationem Aeschyli formandam valuerit, et formae Ionicae atque vocabula Homerica, quae nemo frequentius adhibuit, demonstrant et ex comparationibus atque metaphoris cernitur, quarum magna pars imitationem Homeri ostendunt [2]). Fortasse haud alienum videbitur comperire, quas imagines Aeschylus ab Homero mutuatus sit. Quare infra in imaginibus Aeschyli percensendis semper commemorabo, si quem locum Homericum inveni ita similem, ut eum illi exemplari fuisse suspicari liceat. In multis locis haec similitudo ita manifesta est, ut ne minima quidem sit dubitatio, quin ab Homero sumpti sint, sive id consulto factum est, sive ita, ut imago ex illo nota imprudente poeta in orationem irreperet.

Jam exposui ea, quae de vi et natura imaginum in universum disputanda esse putavi; iis adjunxi aliquot animadversiones, quae ad universam Aeschyli in imaginibus adhibendis consuetudinem pertinent. His praemissis meum est indicare, quomodo singulas ad rem propositam pertinentes res sim persecuturus. Primum igitur omnes Aeschyli imagines, cujuscunque generis sunt, percensebo atque quidem ita dispositas, ut res ipsae, unde sumptae sunt, secum ferre videbuntur. Haud multum interest, quo ordine singula genera

---

[1]) Plato, De republ. X, p. 595 c: *Ὅμηρος ἔοικε τῶν καλῶν ἁπάντων τούτων τῶν τραγικῶν πρῶτος διδάσκαλός τε καὶ ἡγεμὼν γενέσθαι.*

[2]) Lechner, De Aeschyli studio Homerico. Erlang. 1862.

afferantur, modo ii loci, qui rebus ipsis cohaerent, etiam conjunctim tractentur. Ne tamen disputatio mea temere vagaretur, sed ratione quadam et via procederet, eum ordinem sequi decrevi, ut a rebus tamquam inferioris ordinis initium facerem, deinceps ad res superiores perfectioresque transgrederer. Ita tota haec commentatio in duas partes dividitur, quarum altera *naturam rerum*, altera *vitam humanam* et *deos* spectat. In priore genere primum *res inanimas*, deinde *plantas* et *arbores*, postremo *bestias* tribus commentationis capitibus comprehendam. Inter posterioris generis imagines primum eae afferentur, quae a *corpore* vel *partibus corporis hominis* deprómptae sunt, deinde eae, quae ad *status vel actiones aut omnino aut maxime corpus attingentes* pertinent, velut ad dormiendum et vigilandum, ad edendum et bibendum, similia; quae etsi maximam partem homini cum bestiis communia sunt, tamen credibile est poetam, quum ab ejusmodi notionibus imagines peteret, hominem potissimum in animo habuisse. Tum sequentur comparationes ad *res vel status vel actiones spectantes, quae magis a mente et ratione profecta sint*, velut res opera et consilio hominum factae, diversa negotia et artificia hominum, similia. Postremo paucos locos adjungam, in quibus cum *rebus, quae in fabulis traduntur*, vel cum *diis* comparatio fit. Haec dispositio, quamquam admodum simplex et facilis videtur, tamen ejusmodi est, ut interdum paullum ab ea discedere oporteat. Quaedam enim genera rerum in natura sitarum cum quibusdam actionibus et negotiis humanis, tamquam materies iis subjecta, arctissime conjuncta sunt; quo fit, ut saepe unius et ejusdem explicatae metaphorae finibus contineantur. Ne eadem bis repeterentur, aptum esse putavi imagines a talibus naturae rebus sumptas suo loco leviter tantum significare, accuratiorem autem de iis disputationem in eum locum differre, ubi actionem eam humanam, quacum cohaererent illae res, essem tractaturus. Duobus ultimis capitibus separatim de similitudinibus, separatim de metaphoris ita disputabo, ut nulla *rerum* ratione habita exponam, quid Aeschyli in iis adhibendis consuetudo proprium et commemoratu dignum habeat.

Quaecunque de sermone Aeschyli quaeruntur, vitia codicum plurimas et maximas difficultates afferunt. Omnium enim, qui manserunt, veterum scriptorum vix quisquam est, cujus textus ab insciis et negligentibus librariis miserius depravatus sit. Etsi confitendum est opera doctorum virorum, qui in Aeschylo interpretando versati sunt, multa esse feliciter emendata, multa subtiliter explicata, plura tamen etiamnunc restant aut incerta aut plane obscura. In multis locis scribendis vel interpretandis editores in sententias plane diversas discedere videmus, ut tot fere sint opiniones, quot viri ad eos explicandos se contulerunt. Atque ut dicam id, quod sentio, neque adhuc in hac re tantum profectum est, ut labori impenso respondeat, neque sperari potest fore, ut textus Aeschyli umquam in integrum restituatur. Quum in tanta varietate lectionum unum quendam editorem necesse sit sequi, semper primo loco eam lectionem afferam, quam Dindorf in editione sua omnium Aeschyli tragoediarum (Lipsiae, 1869) habet. Eandem etiam in numeris versuum adscribendis sequar. Sed etiam quid alii docti viri, qui Aeschylo explicando operam navarunt, de locis a me allatis existimassent, respiciendum esse duxi, praesertim quum Dindorf a codice Mediceo, a quo, ut omnium, qui exstant, codicum archetypo, omnem rationem criticam pendere censet, interdum nulla necessitate cogente discedere videretur. Quam ob rem Schützii, Hermanni, Weilii editiones omnium Aeschyli carminum semper comparavi et praeter has complures editiones singularum tragoediarum atque etiam multos de locis singulis commentarios inspexi. Ne tamen justo longior essem, eam mihi imposui legem, ut lectiones a Dindorfii discrepantes tum solum afferrem, quum iis vis et natura ipsius imaginis mutata videretur, neque tum semper; inutile enim et supervacaneum putavi conjecturas et interpretationes commemorare, quas satis ab aliis refutatas esse viderem. Me nullas a me inventas conjecturas protulisse vix est, quod moneam. Nam quis ego sum, ut in re tam difficili, in qua tot egregii viri saepe frustra laborarunt, me aliquid proficere posse credam? Paucis locis, quos antea non recte intellectos esse putabam, novam interpretationem, sive vocabuli alicujus sive totius loci, proferre ausus sum, quum haec, quam ego

primus institui, omnium Aeschyli imaginum collatio ad eos explicandos lumen afferre videretur.

Cap. II.

Imagines a rebus inanimis sumptae.

Ab iis imaginibus, quae a *coelo* atque *aere eorumque statu* depromptae sunt, initium faciam.

§ 1. Quum Fr. 214: *εἴ μοι γένοιτο φᾶρος ἶσον οὐρανῷ* vestis coelo similis dicitur, color coeruleus significari videtur. — Quod Graeci, ut singularem alicujus rei altitudinem declararent, eam coelum attingere per hyperbolen dicebant [1]), inde factum esse puto, ut *οὐράνιος* etiam ad res non corporeas translatum insolitam magnitudinem exprimeret. Ita de vehementibus doloribus ponitur Pers. 573: *βαρὺ δ' ἀμβόασον οὐράνι' ἄχη.* Eodem sensu hanc vocem adhibet Sophocles Ai. 195: *ἄταν οὐρανίαν φλέγων.* Ant. 418: *τυφὼς ἀείρας σκηπτόν, οὐράνιον ἄχος.*

§ 2. Verbum *ἐπιτέλλειν,* quod de oriente sole proprie dicitur, ad initium declarandum transfertur, simul adjuncta felicitatis significatione, quae saepe in vocibus *diei* et *lucis* inest. Prom. 99: *πῇ ποτε μόχθων χρὴ τέρματα τῶνδ' ἐπιτεῖλαι.* Cfr Theogn. 1275: *ὡραῖος καὶ ἔρως ἐπιτέλλεται ἡνίκα περ γῆ ἄνθεσιν εἰαρινοῖς θάλλει ἀεξομένη.* Eodem sensu nos "dagas, gry" dicimus. — A *sole* metaphora petita videtur Sept. 489: *ἅλω δὲ πολλήν, ἀσπίδος κύκλον λέγω, ἔφριξα δινήσαντος. ἅλως* duas significationes habet: *coronam solem cingentem* et frequentius *aream rotundam*, in qua Graecos, ut nostrae aetatis Italos et Hispanos, frumentum terere solitos esse constat. Nonnulli interpretes hic hanc posteriorem vim vocabulo illi tribuunt, clypeum sic vocari rati propter rotunditatem. Sed mihi quidem dubium non videtur, quin hic de altera significatione cogitandum sit. Quid enim magis poeticum quam *solem vibrare* dicere, quid

---

[1]) Cfr Homericum *κλέος οὐρανὸν ἵκει* et Od. 5, 239: *ἐλάτη οὐρανομήκης.* Aesch. Ag. 92: *οὐρανομήκης λαμπὰς ἀνίσχει.*

minus poeticum quam *aream vibrare?* Probabile igitur est huc referendam esse Hesychii glossam: *ἅλως· ἡ τοῦ ἡλίου ἢ σελήνης περιφέρεια. Αἰσχύλος περιφέρεια τῆς ἀσπίδος καὶ κύκλος.* Apparet clypeum cum sole comparari non modo ob rotunditatem, sed etiam ob fulgorem; notum est veteres poetas in clypeis describendis praesertim fulgorem eorum commemorare et laudare solitos esse. Vide exempla, quae Schütz ad hunc locum collegit. — Ag. 288 ignis, qui ad excidium Trojae nuntiandum accenditur, ut sol splendere dicitur:

ἰσχὺς πορευτοῦ λαμπάδος πρὸς ἡδονὴν
πεύκης τὸ χρυσοφεγγές, ὥσ τις ἥλιος,
σέλας παρηγγάρευσε Μακίστου σκοπῷ.

Item ignis ille nuntius lunae instar campum transsilire dicitur Ag. 297: *λαμπὰς, ὑπερθοροῦσα πεδίον Ἀσωποῦ δίκην φαιδρᾶς σελήνης.*

§ 3. Ab *imbre* et *nubibus* has imagines petitas inveni. Ag. 1533: *δέδοικα δ' ὄμβρου κτύπον δομοσφαλῆ τὸν αἱματηρόν· ψακὰς δὲ λήγει.* Chorus novas caedes, quas caedem Agamemnonis secuturas esse suspicatur, cum pluvia sanguinea comparat; haec pluvia, inquit, non iam guttatim labitur, sed imbris modo vehementer effunditur. Quis non sentit ita et multitudinem et gravitatem instantium malorum describi? Cfr Soph. O. R. 1278: *ὁμοῦ μέλας ὄμβρος χαλάζης αἱμάτων ἐτέγγετο.* — Imagine etiam nobis familiari homines, quorum vultus tristitiam et curas prae se ferunt, quod fronte contrahenda fieri constat, nubem in fronte habere dicuntur; contra vultus laeti et placidi cum sereno coelo conferuntur. Sept. 228: *πολλάκι δ' ἐν κακοῖσι τὸν ἀμήχανον κἀκ χαλεπᾶς δύας ὕπερθ' ὀμμάτων κρημναμενᾶν νεφελᾶν ὀρθοῖ.* Similiter Prom. 145: *φοβερὰ δ' ἐμοῖσιν ὄσσοις ὁμίχλα προσῇξε πλήρης δακρύων.* Dolor, quo aspectus Promethei ad scopulum affixi filias Oceani afficit, oculis earum tamquam nubem obducit; haec nubes lacrimis gravis est, ut vera nubes imbre. Confer pulcherrimam imaginem Soph. Ant. 528: *νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν ῥέθος αἰσχύνει, τέγγουσ' εὐῶπα παρειάν.* Eur. Hipp. 173: *στυγνὸν δ' ὀφρύων νέφος αὐξάνεται.* Horat. Epist. 1, 18, 94: deme supercilio

nubem. Comparari etiam potest Hom. Il. 17, 591: *τον δ' ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.* — Lapides ab oppugnantibus in urbem jacti, quia crebri cadunt, cum nivibus comparantur. Sept. 212: *ὅτε νιφάδος ἀπ' ὀλοᾶς νιφομένας βρόμος ἐν πύλαις.* Imitatio Homeri hic aperta est. Vide Il. 12, 156: *(χερμάδιοι) νιφάδες δ' ὡς πῖπτον ἔραζε.* Ibid. 278: *τῶνδ', ὥστε νιφάδες χιόνος πίπτωσι θαμειαί —, ὣς τῶν ἀμφοτέρωσε λίθοι ποτῶντο θαμειαί.* Cfr Eur. Andr. 1129: *πυκνῇ δὲ νιφάδι πάντοθεν σποδούμενος.*

§ 4. Truces oculi Typhoei *fulminare* dicuntur Prom. 356: *ἐξ ὀμμάτων δ' ἤστραπτε γοργωπὸν σέλας.* Hoc verbum etiam in soluta oratione de splendore oculorum et metallorum frequentissimum est. — *ἀστραπή* de fulgore facum ponitur Fr. 383: *λαμπραῖσιν ἀστραπαῖσι λαμπάδων σθένει.* — De fulminando imago sumpta esse videtur etiam Suppl. 86: *Διὸς ἵμερος οὐκ εὐθήρατος ἐτύχθη. παντᾶ τοι φλεγέθει κἀν σκότῳ μελαίνᾳ ξὺν τύχᾳ μερόπεσσι λαοῖς.* Hoc Danaides dicere volunt: si Jupiter ita voluerit, filios Aegypti se non comprehensuros; Jovis enim voluntatem non facile vinci posse; etiamsi ad tempus impedita videatur, eam tamen subito potentiam suam ostendere. Haec pulcherrima imagine exprimuntur fulminis, quod subito in atris nubibus interlucet. Sic verba illa accipienda esse etiam ob eam causam credibile est, quod in antistropha eadem sententia, ut saepe fit, alia imagine repetitur: *πίπτει δ' ἀσφαλὲς οὐδ' ἐπὶ νώτῳ, κορυφᾷ Διὸς εἰ κρανθῇ πρᾶγμα τέλειον.* Probabile est *μελαίνᾳ ξὺν τύχᾳ* ita addita esse, ut effectum verbi declarent, hac fere sententia *ut inde calamitas mortalibus oriatur,* sicut fulmen vastitatem efficere solet. Aliter Hermann, qui *μελαίνᾳ τε τύχᾳ* scribit et vertit: ubique Jovis voluntas etiam in tenebris atraque sorte conflictantibus lucet.

§ 5. Translatione a nostrae linguae indole aliena catuli leonis *δρόσοι* vocantur Ag. 141; velut Hom. Od. 9, 222 *ἕρσαι* de agnis et Aelianus Var. Hist. 7, 47 de bestia a partu recenti *ψάκαλον*, quod a *ψακάς* derivatum est. Causa hujus translationis a notione *teneri, recentis,* quae roris est, repetenda esse videtur. — Aliter translatio de rore fit Ag. 1390:

βάλλει μ' ἐρεμνῇ ψακάδι φοινίας δρόσου,
χαίρουσαν οὐδὲν ἧσσον ἢ διοσδότῳ
γάνει σπορητὸς κάλυκος ἐν λοχεύμασιν,

ubi Clytaemnestra sanguinem ore morientis Agamemnonis exhalatum, quo aspergitur, rorationem vocant; deinde in imagine demorans dicit se hoc sanguineo rore non minus laetari, quam seges eo tempore, quum calyces quasi parturiant, rore ex coelo cadente laetetur. Calyces tum parturire dicuntur, quum primum herbescentem viriditatem promittunt, quo tempore magis quam ullo alio segetem tenui pluvia indigere constat. Iam Homerus ad magnum gaudium declarandum imagine segetis rore conspersae usus est. Il. 23, 597:

τοῖο δὲ θυμὸς.
ἰάνθη, ὡς εἴτε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση
ληίου ἀλδήσκοντος, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι.

Dubius locus est Ag. 1511: *(Ἄρης) ὅποι δὲ καὶ προβαίνων πάχνᾳ κουροβόρῳ παρέξει. πάχνα,* quod vocabulum proprie est *ros congelatus*, si ita recte scribitur, hic nihil nisi *sanguinem concretum* significare potest, ut haec fiat sententia: Mars, quousque progredietur, tales caedes efficiet propter effusum sanguinem puerorum comesorum. Plerosque haec verba pro corruptis habere video et ob insolitum usum participii *(ὅποι προβαίνων = ὅποι ἂν προβῇ)* et ob significationem vocis *πάχνη,* cujus nullum aliud exemplum afferri potest. Fortasse tamen *πάχνη* retinendum est; sanguis congelatus dici potuit, ut exprimeretur caedis maculam non evanescere, sed semper manere et ultionem poscere, similiter atque Choeph. 66: *δι' αἵματ' ἐκποθένθ' ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ τίτας φόνος πέπηγεν οὐ διαρρύδαν.* Nägelsbach, qui vulgatam defendit, monet *πάχνη* significatu prope nihil differre a *κρύος, κρύος* autem idem vocabulum esse atque cruorem.

§ 6. Ut iam ad imagines *lucis* et *tenebrarum* transeamus, primum nobis occurrit maxima earum copia, quibus *lumen* et *dies* pro rebus *laetis* et *faustis*, *tenebrae* et *nox* pro rebus *tristibus* et *infaustis* nominantur. Haec translatio omnium, credo, linguarum communis est et ita frequens, ut paene ex intima hominis natura fluxisse videatur. Quid enim hominis magis proprium est quam luce laetari, tenebris autem angi

et animo contrahi? Quum igitur lumen cum sensu quodam jucunditatis, tenebrae cum contrario sensu conjunctae essent, factum est, ut illud saepe pro eo, quod faustum, hae pro eo, quod infaustum esset, dicerentur. Ag. 22 vigil viso igne, qui nuntium captae Trojae affert, exclamat: ὦ χαῖρε λαμπτὴρ νυκτὸς, ἡμερήσιον φάος πιφαύσκων. ἡμερήσιον est *felicitatem afferens*. Neminem fugit, quantum vis hujus metaphorae eo augeatur, quod antecedentibus λαμπτὴρ νυκτός opposita sit; tali lusu verborum vel maxime delectatur Aeschylus. Sed etiam haec verba, etsi praecipue proprio sensu dicta sunt et ignem noctu apparentem significant, tamen nescio an eo, quod ἡμερήσιον φάος opponuntur, metaphoricae significationis quodam modo socia fiant, ut νυκτός etiam de magnis multisque domus miseriis intelligendum sit. Non raro enim et vocabula et totae enuntiationes ita proferuntur, ut inter propriam et translatam vim quasi vacillent. — Similiter Agamemno domum rediens lumen nocte affert Ag. 522: ἥκει γὰρ ὑμῖν φῶς ἐν εὐφρόνῃ φέρων. εὐφρόνῃ, *nox*, dicitur, quia absentia regis civibus malum est. — Ag. 602:

τί γὰρ
γυναικὶ τούτου φέγγος ἥδιον δρακεῖν
ἀπὸ στρατείας ἀνδρὶ σώσαντος θεοῦ
πύλας ἀνοῖξαι;

ubi φέγγος *res laeta*, non *dies* est, ut nonnulli volunt. Cfr etiam Ag. 900, ubi Clytaemnestra maritum reducem vocat κάλλιστον ἦμαρ εἰσιδεῖν ἐκ χείματος. — Choeph. 807: εὖ δὸς ἀναδῦν δόμον ἀνδρὸς, καί νιν ἐλευθερίας φῶς λαμπρὸν ἰδεῖν φιλίοις ὄμμασιν ἐκ δνοφερᾶς καλύπτρας. Haec ex secundo stasimo Choephororum sunt, quo fortasse nihil magis corruptum in literis Graecis exstat. Illos versus tales, quales supra attuli, praebet Dindorf maximam partem emendationem Weilii secutus. Si ἀνδρός et νίν ad Agamemnonem referimus, sententia satis probabilis exsistit. φῶς λαμπρόν bene de libertate dicitur, ut quae omnium rerum felicissima et hominibus gratissima sit. Etiam hic, ut supra ad Ag. 22 animadvertimus, poeta consulto duo opposita conjunxit, claram lucem libertatis et obscura loca, ubi Agamemno ver-

satur. — Notio *felicitatis* in vocabulo *φῶς* inest etiam Choeph. 961 et 972: *πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν.* His verbis, quibus et stropha et antistropha clauditur, chorus breviter declarat exsultantem laetitiam, quam ex caede Clytaemnestrae et Aegisthi percipit. — Probabiliter eandem vim habet *φάος* Eum. 521: *τίς δὲ μηδὲν ἐν φάει καρδίαν ἀνατρέφων ἢ πόλις βροτός θ᾽ ὁμοίως ἔτ᾽ ἂν σέβοι δίκαν;* Sic Dind. codicum scripturam retinens, quam tamen nemo pro corrupta non habet. Schol. interpretatur *λαμπρότητι, ὀρθότητι φρενῶν,* unde colligere licet eum *καρδίας* legisse et genitivum cum *φάει* conjunxisse: in probitate animi. Talis vocabuli lucem significantis translatio non insolita est, sicut contra mox videbimus Aeschylum animum crudelem et injustum *obscurum* vocare. Neque vero intelligitur, quomodo haec significatio cum ceteris verbis congruat. Maxime probabilis videtur emendatio Weilii, qui scribit: *τίς δὲ μηδέν᾽ ἐν φάει καρδίας φύλακα τρέμων ἢ πόλις βροτός θ᾽ ὁμοίως ἔτ᾽ ἂν σέβοι δίκαν* et *ἐν φάει* vertit: *in rebus laetis.* Quomodocunque scribitur, universa sententia dubia non est: *nemo justus esse potest, qui non timet;* quam sententiam ut Atheniensibus inculcaret, illo ipso tempore Aeschyli maxime intererat, quia tum rerum novarum studiosi homines potestatem Areopagi minuere volebant. Vide v. 702: *τίς γὰρ δε δοικὼς μηδὲν ἔνδικος βροτῶν;* — Pers. 167: *μήτ᾽ ἀχρημάτοισι λάμπειν φῶς, ὅσον σθένος πάρα, neque carentibus divitiis tantum lucis splendere, quantum roboris iis sit,* i. e. eos non aeque felices esse atque potentes. — Ibid. 300 Atossa, quae ex nuntio Xerxem inter vivos esse audivit, ad laetitiam declarandam imagine lucis utitur:

> *ἐμοῖς μὲν εἶπας δώμασιν φάος μέγα*
> *καὶ λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου.*

νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου, post nigram noctem, dicit Atossa, quod dictis nuntii perterrita *(στρατὸς γὰρ πᾶς ὄλωλε βαρβάρων* et *πᾶς δ᾽ ἀπώλλυτο στρατός)* crediderat Xerxem una cum exercitu interiisse.

Contra saepe *tenebrae* et *nox* pro rebus tristibus dicuntur; sic in nonnullis eorum locorum, quos supra attuli, Ag. 22, 522, 900, Pers. 300, ubi nox infortunii lumini felicitatis

opponitur. Domus vel civitas, quae in malis et luctu versatur, caligine involuta dicitur Choeph. 51: *ἀνήλιοι βροτοστυγεῖς δνόφοι καλύπτουσι δόμους δεσποτῶν θανάτοισι.* Eum. 377: *καὶ δνοφεράν τιν' ἀχλὺν κατὰ δώματος αὐδᾶται πολύστονος φάτις.* Pers. 669: *Στυγία γάρ τις ἐπ' ἀχλὺς πεπόταται.* Pers. 535: *ἄστυ τὸ Σούσων ἠδ' Ἀγβατάνων πένθει δνοφερῷ κατέκρυψας.* — Verbum *κνεφάζειν*, quod proprie *caligine involvere* significat, *malis affligere* est Ag. 131: *οἷον μή τις ἄγα θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν στόμιον μέγα Τροίας.* — Adjectivum *νυκτηρεφής*, proprie *nocte occultus*, *calamitosum* significat Ag. 459: *μένει δ' ἀκοῦσαί τι μου μέριμνα νυκτηρεφές.* — Pers. 949: *Ἰάνων γὰρ ἀπηύρα, Ἰάνων ναύφαρκτος Ἄρης ἑτεραλκὴς νυχίαν πλάκα κερσάμενος δυσδαίμονά τ' ἀκτάν.* Ambigitur, utrum adjectivum *νυχίαν* proprie an metaphorico sensu *funesti*, *exitiosi* accipiendum sit. Hoc tamen praestare videtur, quum pugna Salaminia adventu noctis finita sit, ut inter alia v. 428 docet. Herm., quia talis vis adjectivi *νύχιος* nullo alio exemplo confirmetur, in *μυχίαν* mutat collato v. 876: *μυχία τε Προποντίς.* Neque vero intelligo, quid obstet, quominus eandem translationem in *νύχιος* statuamus, quam in tot aliis idem fere valentibus vocibus animadvertimus, velut in *νυκτηρεφής.* — Similis translatio in *ἀμαυρός* cernitur, quod proprie *obscurum*, interdum *tristem* significat. Ag. 546: *ὥς πόλλ' ἀμαυρᾶς ἐκ φρενός μ' ἀναστένειν.* Choeph. 156: *κλύε δέ μοι κλύε σέβας, ὦ δέσποτ', ἐξ ἀμαυρᾶς φρενός.* *Ignobilem*, *humilem* significat Ag. 465: *κελαιναὶ δ' Ἐρινύες χρόνῳ τυχηρὸν ὄντ' ἄνευ δίκας παλιντυχεῖ τριβᾷ βίου τιθεῖσ' ἀμαυρόν.*

Usui illi vocabulorum obscuritatem significantium simile est, quod niger color, qui apud omnes populos pro signo luctus est, ad mentem translatus *tristitiam* declarat. Sic Pers. 114: *ταῦτά μοι μελαγχίτων φρὴν ἀμύσσεται. μελαγχίτων* est *pulla veste indutus* et, quia id signum luctus est, *tristis.* — Choeph. 413: *σπλάγχνα δέ μοι κελαινοῦται πρὸς ἔπος κλυούσᾳ.* Cor dolore nigrescere cogitatur. Menti Aeschyli obversatum esse videtur Homericum *φρένες ἀμφιμέλαιναι*, quod de animo vehementer commoto dicitur. — Animus dolore affectus declaratur etiam Suppl. 785: *κελαινόχρῳ δὲ*

πάλλεται κλυδωνίῳ (κέαρ). Schol. fortasse recte animadvertit: *ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῆς θαλάσσης, ἣ ἐν τῷ ταράσσεσθαι μελαίνεται.* Ut igitur mare, quum vento turbatur, nigrescit, eodem modo cor dolore affectum obscurari cogitatur. — Ut apud Homerum Il. 1, 103 *φρένες ἀμφιμέλαιναι* de animo irato dicitur, *κελαινός* irae adjicitur Eum. 832: *κοίμα κελαινοῦ κύματος πικρὸν μένος. κύμα* enim ira Eumenidum est.

Saepe *μέλας* et *κελαινός* ita adhibentur, ut iis notio *horrendi, atrocis* subjecta sit. Ita Suppl. 88: *μελαίνᾳ ξὺν τύχᾳ, cum misera fortuna.* De Furiis Ag. 462: *κελαιναὶ Ἐρινύες, dirae Furiae.* Sept. 977 et 989: *μέλαιν᾽ Ἐρινύς.* Eum. 52: *μέλαιναι δ᾽ ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι.* Sept. 832: *ὦ μέλαινα καὶ τελεία γένεος Οἰδίπου τ᾽ ἀρά.* Ag. 1511: *μέλας Ἄρης,* ubi Mars idem est atque *ἀλάστωρ,* cupiditas caedis in gente propagata. Confer etiam Ag. 770: *θράσος μελαίνας μελάθροισιν Ἄτας.* Suppl. 887: *ὄναρ μέλαν, dirum spectrum.* — Suppl. 530: *λίμνᾳ δ᾽ ἔμβαλε πορφυροειδεῖ τὰν μελανόζυγ᾽ ἄταν. ἄταν* metonymice pro navi dictum est. Vulgo interpretes vocem *μελανόζυγ᾽* ad nigros navium remiges referunt comparato v. 719. Herm. addit simul in verbis inesse atri mali significationem. Sed quum *μελανόζυξ* nihil nisi *nigris transtris* (*ζυγοῖς*) *instructum* significet, non intelligo, quomodo nigri remiges spectari possint. Quare arbitror *μελανο-* de nigro colore navis accipiendum esse adjuncta *funesti, atrocis* significatione. — Quum Eum. 459 Clytaemnestra *κελαινόφρων* vocatur, crudelitas et improbitas ejus notatur. Cfr Pind. Fr. 205: *μέλαιναν καρδίαν,* durum cor.

Omnibus notum est vocabula *lucis* et *obscuritatis* ita transferri, ut illis id, quod perspicuum et cognitum sit, his contrarium designetur; quae significatio in multis talibus vocibus tam pervulgata est, ut translationem ei subesse vix quisquam sentiat. Tamen nonnullos hujusmodi locos ex Aeschylo afferam, qui commemoratu digni videntur. Ag. 389 culpa, quae non occulta, sed omnibus nota est, cum luce triste lucenti comparatur: *πρέπει, φῶς αἰνολαμπὲς, σίνος.* Quae secreto fiunt, in tenebris fieri dicuntur Ag. 1030: *νῦν δ᾽ ὑπὸ σκότῳ βρέμει θυμαλγής.* — Interdum

imago *splendendi* nihil aliud spectat, quam ut res, ad quam adhibetur, tamquam insignis et admiratione digna praedicetur. Ita Ag. 774: ***Δίκα δὲ λάμπει μὲν ἐν δυσκάπνοις δώμασιν,*** ubi venuste opponuntur splendens justitia et casae fumo squalentes. Pers. 150 senes Persae, quum Atossam splendido ornatu prodeuntem conspiciunt, lumen exoriri dicunt ei simile, quod in deorum oculis fulget: ***ἀλλ' ἥδε θεῶν ἴσον ὀφθαλμοῖς φάος ὁρμᾶται μήτηρ βασιλέως,*** qua nobilissima imagine majestas reginae et admiratio, quam ipso aspectu suo injicit, bene depingitur.

§ 7. Imaginibus a tenebris ductis apte annectantur ii loci, ubi ***σκιά*** *umbra* translate usurpatur. Quum id primum umbrae proprium occurreret animo, quod nihil nisi imago alius rei esset, imprimis ita translata est ***σκιά,*** ut vanum aliquid atque irritum exprimeret. Constat animas mortuorum, ut quae, antiquioribus saltem temporibus, et solido corpore et sensu carere cogitarentur, *umbras*, vanas hominum imagines, vocatas esse; iam Homerus eas ***σκιάς, εἴδωλα καμόντων, ἀμενηνὰ κάρηνα*** appellat [1]). Sic Sept. 976 ***σκιά*** est simulacrum Oedipi, quod Eteocli in somniis apparuit: ***πότνιά τ' Οἰδίπου σκιά, μέλαιν' Ἐρινύς.*** Sic recte interpretatur Herm. refutata explicatione scholiastae: ***σκιὰν αὐτὸν καλεῖ διὰ τὴν τύφλωσιν, ὥσπερ καὶ Εὐριπίδης αἰθέρος εἴδωλον.*** Cfr Soph. Ai. 1257: ***ἀνδρὸς οὐκέτ' ὄντος, ἀλλ' ἤδη σκιᾶς.*** Eur. Herc. Fur. 494: ***σκιὰ φάνηθί μοι.*** — Quod valde infidum et vanum est, cum umbra comparatur Ag. 839: ***εἰδὼς λέγοιμ' ἂν — εἴδωλον σκιᾶς δοκοῦντας εἶναι κάρτα πρευμενεῖς ἐμοί.*** Agamemno dicit eos, qui sibi benevoli visi sint, nihil nisi simulacrum umbrae esse, sc. ejus, quod esse videantur. Ad vim vanitatis augendam et quasi cumulandam duae idem fere valentes voces, ***εἴδωλον*** et ***σκιά,*** quarum una satis esse videtur, conjunctae sunt. Cfr Soph. Ai. 125: ***ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.*** Pind. Pyth. 8, 95: ***σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος.*** — Eadem vi ***καπνοῦ σκιά,*** *umbra fumi*, dicitur Fr. 295: ***τὸ γὰρ βρότειον σπέρμ' ἐφ' ἡμέραν φρονεῖ καὶ πιστὸν οὐδὲν μᾶλλον ἢ***

[1]) Tenues sine corpore vitae. Virg. Aen. 6, 292.

καπνοῦ σκιά. Cfr Soph. Phil. 946: *κοὐκ οἶδ' ἐναίρων νεκρὸν ἢ καπνοῦ σκιάν, εἴδωλον ἄλλως.* Ant. 1170: *τἄλλ' ἐγὼ καπνοῦ σκιᾶς οὐκ ἂν πριαίμην.* Haec locutio proverbialis fuisse videtur. — Locus nondum satis explanatus est Eum. 299, ubi Furiae Orestem sic alloquuntur:

οὔτοι σ' Ἀπόλλων οὐδ' Ἀθηναίας σθένος
ῥύσαιτ' ἂν ὥστε μὴ οὐ παρημελημένον
ἔρρειν, τὸ χαίρειν μὴ μαθόντ' ὅπου φρενῶν,
ἀναίματον βόσκημα, δαιμόνων σκιάν.

Ita in ultimo versu interpungit Dind. vetustiorem sententiam Hermanni [1]) secutus. Sic Furiae cum acerba irrisione Orestem, cujus sanguinem se exsorbere velle minantur, umbram dei alicujus fore dicunt respecto v. Homerico Il. 5, 342, ubi de diis dicitur: *τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι.* Sed haec explicatio et aliis difficultatibus laborat et sententiam valde ineptam praebet. Aliam explicandi viam init Weil, qui post *ἀναίματον* et *δαιμόνων* commate interpungit, ut *ἀναίματον* a *σκιάν* pendeat et *βόσκημα δαιμόνων* explicationis causa interponantur, quasi dicatur: *ἀναίματον (δαίμονες γάρ σε βοσκήσονται) σκιάν.* Id ad sententiam satis aptum est, quamquam talis interpositio admodum dura est neque aliis Aeschyleis exemplis confirmatur. Utcunque scriptura se habet, non dubito, quin *σκιάν* ita intelligendum sit, ut Orestes, sanguine a persequentibus Furiis hausto et viribus fractis, umbrae similis fore dicatur; qua imagine corpus confectum et debilitatum apte declaratur. Idem judicasse videtur scholiasta: *ὁ μηδὲ αἷμα σχήσων ἐξ ἡμῶν, ἀλλὰ γενησόμενος σκιά· ῥοφήσομεν γάρ σου τὸ αἷμα.* — *σκιά* est *imago adumbrata* Ag. 1327: *ἰὼ βρότεια πράγματ'· εὐτυχοῦντα μὲν σκιᾷ τις ἂν πρέψειεν,* de quo loco infra inter imagines a pingendo ductas loquemur. — Etiam de Ag. 967, ubi frigus, quod umbra arboris praebet, imago felicitatis est, infra dicemus.

§ 8. Luci finitimi sunt *ignis* et *calor*, a quibus multae imagines profectae sunt. Atque primum quidem nihil est frequentius quam animum vehementer commotum *ardere*

---

[1]) Postea sententiam mutavit et deleto *σκιάν* scripsit *ἀναίματον βόσκημα τῶνδε δαιμόνων.*

dici. Haec imago ad omnes prope motus, quibus animi hominum perturbari solent, adhibetur. Verbum *πυροῦσθαι* de mente gaudio et laeta exspectatione elata ponitur Ag. 481: *τίς ὧδε παιδνὸς ἢ φρενῶν κεκομμένος, φλογὸς παραγγέλμασιν νέοις πυρωθέντα καρδίαν ἔπειτ᾽ ἀλλαγᾷ λόγου καμεῖν; πυρωθέντα* ob praecedens *φλογός* positum est; talem constructionem, qua duo cognata vocabula, alterum proprio, alterum translato sensu, conjunguntur, iam supra in Ag. 22 invenimus. Cfr Soph. Ai. 478: *ὅστις κεναῖσιν ἐλπίσιν θερμαίνεται.* Eur. El. 401: *νῦν ἢ πάροιθεν μᾶλλον, Ἠλέκτρα, χαρᾷ θερμαινόμεσθα καρδίαν.* — Alacritas pugnandi spectatur Pers. 395: *σάλπιγξ δ᾽ ἀϋτῇ πάντ᾽ ἐκεῖν᾽ ἐπέφλεγεν,* quod schol. M. recte sic explicat: *τὰ τῶν Ἑλλήνων ἐξέκαιεν καὶ ἀνήγειρεν.* Item Sept. 52: *θυμὸς ἀνδρείᾳ φλέγων.* — Quae vi erumpunt, exardescere dici solent; sic *φλέγειν* de rumoribus subito ortis Sept. 285: *πρὶν ἀγγέλους σπερχνούς τε καὶ ταχυρρόθους λόγους ἱκέσθαι καὶ φλέγειν χρείας ὕπο.* Weil commate post *ἱκέσθαι* posito *τὰ πράγματα* vel tale quid ut subjectum verbi *φλέγειν* cogitandum putat. Sic imagine ardendi perturbatio et timor, ut saepe fit, exprimitur. — Oculi, qui libidinem produnt, *φλέγειν* dicuntur Fr. 238: *νέας γυναικὸς οὔ με μὴ λάθῃ φλέγων ὀφθαλμός, ἥτις ἀνδρὸς ᾖ γεγευμένη.* — *αἴθων* cupidum pugnandi et ferocem significare potest. Sept. 448: *ἀνὴρ αἴθων λῆμα.* Cfr Soph. Ai. 222 de Aiace *ἀνέρος αἴθονος.* Eur. Rhes. 122: *αἴθων γὰρ ἀνὴρ καὶ πεπύργωται θράσει.* — Verbum *ζωπυρεῖν,* quod proprie est *flammam folle excitare,* duobus locis translate usurpatur, in utroque ita, ut timorem incendere significet. Ag. 1034: *ζωπυρουμένας φρενός.* Sept. 288: *γείτονες δὲ καρζας μέριμναι ζωπυροῦσι τάρβος.* — Suppl. 186: *ἀλλ᾽ εἴτ᾽ ἀπήμων εἴτε καὶ τεθυμμένος ὠμῇ ξὺν ὀργῇ τόνδ᾽ ἐπόρνυται στόλον. τεθυμμένος* est conjectura Abreschii a Dindorfio, Weilio, aliis recepta; libri habent *τεθειμένος,* quod sensu caret. Vocem, quae *ira* vel *odio accensum* significet, oppositionis ratio, quae inter eam et *ἀπήμων* intercedere debet, necessario postulat. Sed valde dubito, num verbum *τύφειν,* cujus propria vis est *fumare, paulatim et lente exurere,* ad talem significationem transferri potuerit. Ubicunque hoc verbum translate

usurpatur, de cupiditate, saepissime amore, animum paulatim exedente ponitur; quod ab hujus loci sententia alienum est. Quare melius mihi videtur cum Hermanno scribere *τεθηγμένος* imagine a ferro acuendo petita, quae de animo irato usitatissima est. — Ag. 1256 Cassandra furorem divinum, quo se ad mala vaticinanda rapi sentit, *πῦρ* vocat: *παπαῖ, οἷον τὸ πῦρ ἐπέρχεται δέ μοι.* Probabiliter post *πῦρ* interpungendum est: *qui ardor! iterum me corripit.* Sic hunc locum intelligere malo quam cum Hermanno *πῦρ* ad perniciem referre, quam Cassandra tamquam ignem adversus se accedentem cernere sibi videatur. *Ardor* vaticinandi usitatissima imago est. Praeterea aptum mihi videtur Cassandram vaticinia sua etiam hic, ut 1214 *(ἰοὺ ἰού, ὢ ὢ κακά. ὑπ' αὖ με δεινὸς ὀρθομαντείας πόνος στροβεῖ)* ab ejulatione incipere, qua se furore denuo correptam declaret. — Verbum *θάλπειν amore inflammare* significat Prom. 590: *ἣ Διὸς θάλπει κέαρ ἔρωτι.* Prom. 649: *Ζεὺς γὰρ ἱμέρου βέλει πρὸς σοῦ τέθαλπται.* — Idem verbum de furore, qui mentem conturbat, ponitur Prom. 877: *ὑπό μ' αὖ σφάκελος καὶ φρενοπληγεῖς μανίαι θάλπουσ'.* — Interdum *θερμός, cupiditate ardens*, ita usurpatur, ut in malam partem accipiendum sit: *prava cupiditate accensus, improbus, impius.* Sept. 603: *ξυνεσβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ ναύταισι θερμοῖς.* Eum. 560: *γελᾷ δὲ δαίμων ἐπ' ἀνδρὶ θερμῷ.* — Quum calor corpus jucundo sensu afficere soleat, verba *calefacere* significantia etiam ad id, quod animum jucunde moveat, transferri possunt; sic *συνθάλπειν* est *blandiri* Prom. 684: *μηδέ μ' οἰκτίσας σύνθαλπε μύθοις ψευδέσιν.* Cfr locutionem Ciceronianam *sensus hominum fovere.* — Contra quia frigus corpori ingratum est, dolor animi imagine frigoris declaratur. Eum. 160: *πάρεστι μαστίκτορος δαΐου δαμίου βαρὺ τὸ περίβαρυ κρύος ἔχειν,* ubi *κρύος,* proprie *gelu*, est dolor, quem Furiae sentiunt conviciis Clytaemnestrae tamquam flagello carnificis perculsae. Vide etiam Sept. 834: *κακόν με καρδίαν τι περιπίτνει κρύος.* — Similis locus est Prom. 691: *πήματα, λύματα, δείματ' ἐμὰν ἀμφάκει κέντρῳ ψύχειν ψυχάν. ψύχειν* est scriptura codicum, quam plerique retinent. Meineke [1]) et Dindorf mutant,

[1]) Zeitschr. für Alterth. 1844, p. 11.

ille in *ψήχειν*, hic in *ψήξειν*, loco Stobaei (Floril. 38, 53) nixi, ubi animum invidia, ut ferrum robigo, paullatim corrodere (*ἐξαναψήχει*) dicitur. Sed nulla mutatione opus est; nam locus ille Eum. 160, quem supra commemoravi, demonstrat eum sensum, quem ictus flagelli efficiunt, frigus vocari posse. Praeterea nescio an scriptura codicum etiam eo confirmetur, quod Aeschylus talem vocum simile sonantium conjunctionem (*ψύχειν ψυχάν*) vel maxime amat; vide Prom. 480, 959, quibus sexcenta alia addi possunt. — Ejusdem generis imago invenitur Choeph. 83: *κρυφαίοις πένθεσιν παχνουμένη*. Ancillae se luctu plane congelatas dicunt, quo vehementia doloris bene exprimitur.

Verbum *κατασβεννύναι*, cujus propria vis est *ignem exstinguere*, mirum in modum ad ea, quae igni maxime contraria sunt, aquam dico et mare, transfertur, ut vim *exsiccandi* accipiat. Ag. 958: *ἔστιν θάλασσα, τίς δέ νιν κατασβέσει;* Ag. 888: *ἔμοιγε μὲν δὴ κλαυμάτων ἐπίσσυτοι πηγαὶ κατεσβήκασιν*. Sept. 584: *μητρός τε πηγὴν τίς κατασβέσει δίκη;*

Hoc loco commemorandum est verbum *ζεῖν*, quod, quum de aqua igni calefacta et effervescente proprium est, ad animum vehementer, praesertim ira, commotum translatum est. Sept. 708 de daemone malo domus Oedipi: *νῦν δ᾽ ἔτι ζεῖ*, *etiamnunc fervet*, i. e. ira ejus, quae malorum causa est, nondum desiit. Sequenti versu eadem imago continuatur: *ἐξέζεσεν γὰρ Οἰδίπου κατεύγματα*. Vulgo vertitur: *efferverunt*, ut aestus irarum imprecationibus Oedipi attribuatur. Ad sententiam melius videtur cum Hermanno vertere: *fervefecerunt enim animi aestum dirae patris*, quamquam *ἐκζεῖν* alias transitive non usurpatur. — Prom. 378 Dindorf scribit *ὀργῆς ζεούσης* pro codicum *νοσούσης*. Vide etiam Prom. 370: *τοιόνδε Τυφὼς ἐξαναζέσει χόλον*, quod simul proprie et translate dictum est. — Secundum Etymologicum Magnum 796, 6 etiam verbum *φλύειν* initio de aqua effervescente dictum est; Aeschylus id sic usurpat, ut *verbis quasi exundare*, i. e. *verbis inutilibus uti*, *se jactare* significet. Prom. 504: *οὐδείς, σάφ᾽ οἶδα, μὴ μάτην φλύσαι θέλων*. Sept. 662:

γράμματα ἐπ᾽ ἀσπίδος φλύοντα [1]). — Et origine et vi cognatum est *φλεῖν*, quod saepe *abundare* significat imagine ab aqua aestuante et exundante capta. Ag. 377: *φλεόντων δωμάτων ὑπέρφεν, domo divitiis circumfluente.* Ag. 1416: *μήλων φλεόντων εὐπόκοις νομεύμασιν.* Suppl. 666: *καὶ γεραροῖσι πρεσβυτοδόκοι θυμέλαι φλεόντων*, ubi *φλεόντων* ab Hermanno magna probabilitate pro *φλεγόντων*, quod codices exhibent, restitutum est.

§ 9. Iam nobis transitus paratus est ad eas imagines, quae aquam spectant; quarum maxima copia apud Aeschylum invenitur. De imbre et rore supra (p. 31, 32) dictum est. Imagine guttatim labentis aquae ea, quae lente atque paullatim fiunt, illustrantur. Vide Ag. 1534 *ψακὰς δὲ λήγει* (p. 31). — Suppl. 1001: *καρπώματα στάζοντα κηρύσσει Κύπρις. κ. στάζοντα* vulgo vertitur *fructus maturi*, ita dicti, quia fructus, quum ad maturitatem pervenerunt, tamquam guttatim ex arbore cadunt. De hoc loco, qui inter difficillimos apud Aeschylum est, infra plura dicemus. — Quod menti in somno obversatur, in eam tamquam in vas instillatur. Ag. 179: *στάζει δ᾽ ἐν θ᾽ ὕπνῳ πρὸ καρδίας μνησιπήμων πόνος.* — Compluribus locis Eumenidum de calamitatibus, quae Atheniensibus a Furiis imminent, ita dicitur ut de humore nocente, quem illae in terram stillant. 782: *ἰὸν ἰὸν ἀντιπενθῆ μεθεῖσα καρδίας σταλάξω χθονὶ φθοράν.* 802: *μηδ᾽ ἀκαρπίαν τεύξητ᾽, ἀφεῖσαι δαιμόνων σταλάγματα*; etiam 478: *χώρᾳ μεταῦθις ἰὸς ἐκ φρονημάτων πέδοι πεσών.*

τέγγειν est *blandis verbis mitigare* Prom. 1008: *τέγγει γὰρ οὐδὲν οὐδὲ μαλθάσσει κέαρ.* Nam *τέγγειν aqua aspersa macerare et mollire* significare poterat, unde ad vim animi molliendi facilis erat transitus. — Ag. 798: *ὄμματα τὰ δοκοῦντ᾽ εὔφρονος ἐκ διανοίας ὑδαρεῖ σαίνειν φιλότητι. φιλότης ὑδαρής* est *amicitia non sincera;* quae significatio ita orta esse videtur, ut *ὑδαρής* primo de vino vel alia re aqua diluta et vitiata diceretur, deinde propter hanc *falsi* vim, quae in eo inerat, ad amicitiam simulatam transferretur. Ejusdem usus exemplum est Arist. Polit. 11, 8:

[1]) Comparari potest Cic. de fin. V, 27: dixerit hoc quidem Epicurus, semper beatum esse sapientem, quod quidem solet ebullire nonnumquam.

ἐν δὲ τῇ πόλει τὴν φιλίαν ἀναγκαῖον ὑδαρῆ γίνεσθαι διὰ κοινωνίαν τὴν τοιαύτην. Schütz minus bene ὑδαρεῖ de benevolentia humore ex oculis stillante prodita dictum putabat. — Huc pertinet, si modo sanus est, alius locus Sept. 985: δίυγρα τριπάλτων πημάτων, qui tamen ejusmodi est, ut inde nulla probabilis sententia elici possit. δίυγρα metaphorico sensu accipiendum et *malis tamquam perfusum*, i. e. *plane obrutum* significare videtur. Sed locus sine dubio corruptus est neque multum proficitur conjectura Hermanni δίυγρα πήματα παλμάτων. Scholiasta δίυγρα explicat: ζῶντα πήματα χεόμενα καὶ πολλά, quae explicatio quid sibi velit, intelligere non possum.

Imago *fluendi* ad motum aequabilem, non intermissum exprimendum apta est; sic de tempore procedente Eum. 853: οὐπιρρέων γὰρ τιμιώτερος χρόνος ἔσται πολίταις τοῖσδε. — ἐπίρρυτος vim *abundantis*, *uberis* accipit, quia rivus sine intermissione profluens obversatur. Eum. 907: καρπόν τε γαίας καὶ βοτῶν ἐπίρρυτον. — Quae vehementer prorumpunt, cum *torrente* comparantur; sic multitudo malorum propter vehementiam, qua ingruunt, ut torrens invadere dicitur. Suppl. 469: κακῶν δὲ πλῆθος ποταμὸς ὥς ἐπέρχεται. — Saepe imago fluminis ad hostem aggredientem adhibetur; de magno exercitu, qui ad moenia Trojae accedit, Sept. 80: ῥεῖ πολὺς ὅδε λεώς. — Idem agmen, dum incedit, ita fremere dicitur, ut torrens violentus, qui rupem ferit. Sept. 85: βρέμει δ᾽ ἀμαχέτου δίκαν ὕδατος ὀροτύπου. — ῥεῖν de hoste in urbem irruente ponitur Sept. 556: ὃς οὐκ ἐάσει γλῶσσαν ἐργμάτων ἄτερ εἴσω πυλῶν ῥέουσαν ἀλδαίνειν κακά. Ad Parthenopaei magniloquentiam illudendam non ipse, sed lingua ejus in urbem ῥεῖν et mala augere dicitur, tamquam haec magis quam ipse vir timenda sit. Imagine fluminis optime convenit ἐργμάτων ἄτερ, *nullis aggeribus oppositis*. Vide Pers. 88: μεγάλῳ ῥεύματι φωτῶν, de quo loco plura inter imagines a mari petitas dicemus. — De classe Persarum Pers. 412: τὰ πρῶτα μέν νυν ῥεῦμα Περσικοῦ στρατοῦ. Tamen haec torrentis imago, quae de exercitu infestis signis aggrediente usitatissima est, minus bene classi, quae nihil nisi vim illatam defendit, convenire videtur. Recte igitur puto Meinekium

(Philologus, 20, p. 64) *ῥεῦμα* in *ῥῦμα* mutare. — Verbum *εὐροεῖν*, *bene fluere*, secundam fortunam exprimit Pers. 601: *ὅταν δ' ὁ δαίμων εὐροῇ.* Inde ductum est *εὔροια*, quod praesertim a recentioribus eodem translato sensu usurpabatur: *εὔροια τοῦ βίου* pro *εὐδαιμονία.* — Choeph. 67: *δι' αἵματ' ἐκποθένθ' ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ τίτας φόνος πέπηγεν οὐ διαρρύδαν. διαρρύδαν* adverbium est, quod proprie significat: *ita, ut non diffluat.* Eadem igitur imago, quae in *πέπηγεν* inest, continuatur: sanguis interfecti Agamemnonis (*φόνος*) quasi congelatus est neque diffluit, i. e. poenas interfectorum postulare non desinit.

Translatione etiam nostrae linguae familiari *fons*, ut qui rivorum origo sit, omnino pro *causa*, *origine* nominatur, praesertim si indicandum est aliquid large et sine intermissione ex aliqua re exsistere. Pers. 238 de metallis argentariis: *ἀργύρου πηγή τις αὐτοῖς ἐστι, θησαυρὸς χθονός.* Pers. 743: *νῦν κακῶν ἔοικε πηγὴ πᾶσιν ηὑρῆσθαι φίλοις.* Prom. 110: *ναρθηκοπλήρωτον δὲ θηρῶμαι πυρὸς πηγὴν κλοπαίαν.* Sept. 584: *μητρός τε πηγὴν τίς κατασβέσει δίκη.* Mater liberorum quasi fons est. — Lacrimae cum fonte comparantur Prom. 401: *παρειὰν νοτίοις ἔτεγξα παγαῖς.* Ag. 888: *ἔμοιγε μὲν δὴ κλαυμάτων ἐπίσσυτοι πηγαὶ κατεσβήκασι, οὐδ' ἔνι σταγών.* — A fonte imago petita esse videtur Pers. 814: *κοὐδέπω κακῶν κρηπὶς ὕπεστιν, ἀλλ' ἔτ' ἐκπιδύεται. ἐκπιδύεται* pro codicum *ἐκπαιδεύεται* Schütz invenit, quam conjecturam prope omnes probaverunt una cum explicatione ejusdem: »neque enim iam subest fundus malorum, sed potius etiamnum emicare et scaturire pergunt«. Addit: »imago petita est ex natura fonticuli aut putei, qui non prius exhauritur quam ad fundum perveneris«. Hermann solus hanc explicationem improbat, primum quod *κρηπίς* non *fundum*, sed, quum translate usurpetur, semper *initium* significet. *κρηπίς* proprie est *fundamentum* vel *podium*, quod quum in aedificando primum sit, in significationem *initii* transmigrat. Sed idem in evertendo ultimum est; quare facile fieri potest, ut *κρηπίς* ad fontem translata *fundum*, quippe ad quem, quum exhauritur fons, ultimum perveniatur, significet. Tum Herm. Schützii *ἐκπιδύεται* cum sententia loci congruere negat,

quia non scaturire fons malorum dicendus fuerit, sed aut adolescere aut generari malum. In hoc a summo viro dissentire audeo; nam ea sententia, quae in proxime antecedentibus inest, Persas mala iam perpeti, alia mala postea perpessuros esse, ea imagine fontis nondum exhausti, sed etiamnunc manantis aptissime mihi videtur illustrari. — Agamemno ex bello revenit uxori suae ita gratus exspectatusque, ut fons sitienti viatori Ag. 901: *ὁδοιπόρῳ διψῶντι πηγαῖον ῥέος.* — Eum. 696: *αὐτῶν πολιτᾶν μὴ πικραινόντων νόμους κακαῖς ἐπιρροαῖσι· βορβόρῳ θ' ὕδωρ λαμπρὸν μιαίνων οὔποθ' εὑρήσεις ποτόν. ἐπιρροή,* proprie *id quod affluit*, hic novas leges veteribus admixtas indicat. Haec ab aqua sumpta imago, quae per *ἐπιρροαῖσι* infertur, deinde pulcherrima allegoria continuatur, cujus sententia haec est: ut, si quis aquam puram luto polluerit, potum non inveniet, ita Athenienses, si leges Areopago constitutas novis admixtis deteriores reddiderint, non iam habebunt, quod injustitiam contineat (*σχήσει τὸ μἀδικεῖν* v. 694). Hoc proverbium fuisse de iis dictum, qui bonis mala admiscerent, Diogenianus 3, 55 aliique auctores sunt.

Quot quamque varias imagines Aeschylus *mari* deberet, iam supra (p. 23) breviter indicavi; neque multo minor est earum numerus, quae a *ventis* et *tempestatibus* depromptae sunt; quae quoniam cum *navigationis* imaginibus arctissime cohaerent neque apte ab iis divelli possunt, omnes, quae *mare, ventos, navigationem* spectant, infra uno loco tractabo.

§ 10. *Metalla* et *lapides* Aeschylo paucarum imaginum materiam dederunt. Duri saevique homines mentem *ferream* vel *lapideam* habere dicuntur. Prom. 242: *σιδηρόφρων τε κἀκ πέτρας εἰργασμένος ὅστις, Προμηθεῦ, σοῖσιν οὐ ξυνασχαλᾷ μόχθοις.* Sept. 52: *σιδηρόφρων γὰρ θυμὸς ἀνδρείᾳ φλέγων.* Haec quoque imago ab Homero repetenda est, qui eam saepissime ad fortem constantemque animum indicandum usurpat, sed etiam in malam partem de crudelitate et duritia animi; sic Il. 22, 357 Hector moriens Achillem reprehendit: *ἦ γάρ σοί γε σιδήρεος ἐν φρεσὶ θυμός.* Cfr Il. 16, 33, ubi Patroclus Achillem alloquitur:

νηλεές, οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεύς.

οὐδὲ Θέτις μήτηρ· γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα
πέτραι τ᾽ ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής.

Cfr etiam Pind. Fr. 89: *ὃς μὴ πόθῳ κυμαίνεται, ἐξ ἀδάμαντος ἢ σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν.* — Hic locus est commemorandi omnes fere voces, quae duritiam et mollitudinem animi vel his cognatas notiones exprimant, primo id, quod tactu durum et molle esset, significasse et a rebus sensibus subjectis in mentem translatas esse; ita *τραχύς, μαλακός, μαλθακός* alia. Quum haec translatio tam usitata sit, ut paene propriae significationis locum obtinuisse videatur, in exemplis afferendis non commorabor. — Res magnopere expetendae cum *auro*, omnium metallorum pretiosissimo, comparantur. Choeph. 372 Electrae exoptanti, ut Clytaemnestra et Aegisthus ante Agamemnonem mortui essent, chorus respondet: *ταῦτα μὲν κρείσσονα χρυσοῦ, μεγάλης δὲ τύχας καὶ ὑπερβορέου μείζονα φωνεῖς.* — Igni splendor auri tribuitur Ag. 287: *τὸ χρυσοφεγγὲς, ὥσ τις ἥλιος, σέλας παρηγγάρευσε.* — *Aes* ab Homero *coruscum, fulgens* (*αἴθοπα χαλκόν, αὐγὴ χαλκοῦ* alia) vocari notum est; quod obversari videtur, quum lacus ut aes fulgere dicitur. Fr. 192: *χαλκοκέραυνόν τε παρ᾽ Ὠκεανῷ λίμνην παντότροφον Αἰθιόπων.* Sed quid sit *— κέραυνον,* obscurum est. Herm. scribit *χαλκομάραυγον.* Alii *aereo fulmine petitum* vertunt. — Hic adjungo locum, ubi imago ab arte aeris tingendi ducitur. Ag. 611: *οὐδ᾽ οἶδα τέρψιν οὐδ᾽ ἐπίψογον φάτιν ἄλλου πρὸς ἀνδρὸς μᾶλλον ἢ χαλκοῦ βαφάς.* Clytaemnestra se dicit adulterium non magis nosse quam tincturam aeris, quae ars secreta et paucis nota fuisse videtur. Mire Herm. id de caede dictum esse credit, quia gladius immergatur (*βάπτεται*) in corpus; quod nemini, credo, probavit. — Ag. 390 *χαλκός* est *numus ex aere factus;* quare hunc locum inter ceteras a numo ductas imagines afferam.

Cap. III.

Imagines a plantis, arboribus, iis denique rebus, quae ex terra procreantur, sumptae.

§ 1. Ut a *flore* ordiamur, primum nobis occurrit *ἄνθος*, quod saepe ad id, quod in aliqua re pulcherrimum et praestantissimum est, denotandum usurpatur. Juventus flos gentis vocatur. Ag. 197 de Graeco exercitu Trojam proficiscente: *πνοαὶ τριβῷ κατέξαινον ἄνθος Ἀργείων.* Miror Schützium eam pulchriorem esse metaphoram dicere, quod etiam proprie venti floribus, quos decutiant, noceant. Si tale quid Aeschylus voluisset indicare, certe verbum huic imagini magis conveniens quam *καταξαίνειν* elegisset. Alia exempla sunt Prom. 420: *Χαλκίδος ἄρειον ἄνθος.* Pers 59: *τοιόνδ᾽ ἄνθος Περσίδος αἴας οἴχεται ἀνδρῶν.* Pers. 252: *τὸ Περσῶν ἄνθος οἴχεται πεσόν.* Pers. 925: *πολλοὶ φῶτες, χώρας ἄνθος.* Latius explicatur haec metaphora Suppl. 663: *ἥβας δ᾽ ἄνθος ἄδρεπτον ἔστω, μηδ᾽ Ἀφροδίτας εὐνάτωρ βροτολοιγὸς Ἄρης κέρσειεν ἄωτον.* Flos juventutis illibatus esto, neve Mars, conjux Veneris, florem desecet. Cfr Hom. Il. 13, 484: *καὶ δ᾽ ἔχει ἥβης ἄνθος, ὅτε κράτος ἐστὶ μέγιστον.* — Quod in praeda de hostibus capta optimum est et duci addicitur, flos appellatur, velut Cassandra Ag. 954: *αὕτη δὲ πολλῶν χρημάτων ἐξαίρετον ἄνθος, στρατοῦ δώρημα.* Simul hac imagine pulchritudo ejus praedicatur; quemadmodum Ag. 743 inter multa nominum ornamenta, quibus suavitas et venustas Helenae describitur, hoc est: *δηξίθυμον ἔρωτος ἄνθος, flos amoris*, i. e. talis flos, qui amorem accendat. — Etiam coloris venusti et candidi *ἄνθος* imago est. Prom. 22: *σταθευτὸς δ᾽ ἡλίου φοίβῃ φλογὶ χροιᾶς ἀμείψεις ἄνθος.* Cfr Soph. fr. 27, 5: *χροιῆς ἄνθος ἀμειβομένης.* — Omnino *ἄνθος* est id, quod alicui decori vel ornamento est, ut ignis Vulcano: Prom. 7: *τὸ σὸν γὰρ ἄνθος, παντέχνου πυρὸς σέλας.* Schol. explicat *τὸν σὸν κόσμον.* — Virginitas flos, ii, qui virginitatem violant, florem decerpere dicuntur Sept. 333: *κλαυτὸν δ᾽ ἀρτιδρόποις ὠμοδρόπων νομίμων προπάροι-*

θεν διαμεῖψαι δωμάτων στυγερὰν ὁδόν, quae verba Herm. ita explicat: »verissimum est *ἀρτιδρόποις*, quo significantur puellae, quibus modo ab hostibus erepta est virginitas. *ὠμόδροπα νόμιμα* recte intelliguntur nuptiae, quibus vix maturus virginitatis flos decerpitur». Totum locum ita vertit: «deploranda est sors earum, quae carptae ante solennem ritum, quo vix maturus iuventae flos decerpitur, relicta domo tristem ingrediuntur viam». Aliter Weil, qui codicum *ἀρτιτρόποις* retinet et pro *ὠμοδρόπων ὠμοδρόπον* cum *ὁδόν* jungendum scribit; quod multo minus aptam sententiam dare mihi videtur. Fortasse hic locus respicitur Eust. Opusc. p. 355, 28, ed. Tafel.: *ἐν μετοπώρῳ γὰρ οὐ μόνον καινὸν, ἐὰν, ὡς ἡ παροιμία, ἄνθος ἀναφυῇ, ἀλλὰ καὶ ἐὰν κατ' Αἰσχύλον ἀρτίδροπος ὀπώρα νεάζουσα τρυγηθῇ*. Cfr Pind. Pyth. 9, 109: *χρυσοστεφάνου δέ οἱ Ἥβας καρπὸν ἀνθήσαντ' ἀποδρέψαι ἔθελον*. — Interdum de hominis interfectione tamquam de decerpendo flore dicitur; ita Suppl. 665: *κέρσειεν ἄωτον* (vide supra) et Sept. 718: *ἀλλ' αὐτάδελφον αἷμα δρέψασθαι θέλεις*. — Quia imago floris, ut modo vidimus, ad id, quod in re aliqua optimum esset, exprimendum adhibebatur, verbum *λωτίζεσθαι*, cujus propria vis erat *sibi florem decerpere*, in vim *optima sibi eligendi* abiit. Suppl. 962: *τούτων τὰ λῷστα καὶ τὰ θυμηδέστατα πάρεστι, λωτίσασθε*.

Maxime dignus, ad quem animum attendamus, est alius vocabulorum florere significantium usus, quo iis *abundantia* demonstratur; qua imagine Aeschylus saepe idque modo a nostro loquendi more discrepante usus est, ex ceteris tragicis nullum exemplum memini. Haec metaphora a nostra et aliis recentioribus linguis non plane illa quidem abhorret, sed tamen inter nostrum et Aeschyli usum id interest, quod nos eam tantum ad res bonas et faustas adhibemus, ille etiam ad res malas et adversas. Translationem ita factam esse censeo, ut species obversaretur plantae vel arboris floribus obsitae ideoque ubertatem et abundantiam prae se ferentis. Ita verbum *ἀνθεῖν* aliqua re *abundare* significat Ag. 659: *ἀνθοῦν πέλαγος Αἰγαῖον νεκροῖς ἀνδρῶν ναυτικοῖς τ' ἐρειπίοις*, mare corporibus mortuorum et fragmentis navium constratum. Choeph. 1009: *μίμνοντι δὲ καὶ πάθος*

ἀνθεῖ, quod vertendum est: (ei, qui caedem fecit,) in posterum tempus (*μίμνοντι* = *χρονίῳ*) vel permultum malorum impendet. — Vis *abundantiae* inest etiam in verbo *ἐπανθίζειν*, quod ter apud Aeschylum invenitur. Ag. 1459: *ἣ πολύμναστον ἐπηνθίσω αἷμ' ἄνιπτον.* Choeph. 150: *ὑμᾶς δὲ κωκυτοῖς ἐπανθίζειν νόμος, παιᾶνα τοῦ θανόντος ἐξαυδωμένας.* Sept. 951: *ἰὼ πολλοῖς ἐπανθίσαντες πόνοισι γενεάν.* De hujus verbi significatione varias interpretum esse discrepantesque sententias video, ita tamen, ut nemo meo judicio verum invenerit. Ita in loco illo Agamemnonis *ἐπηνθίσω αἷμα* alii vertunt *flores sanguinis tamquam ornatum tibi induisti*, alii *sanguinem carpsisti*, alii *fecisti, ut piaculum caedis tamquam floresceret.* Choeph. 150 plerique *παιᾶνα* ad antecedentia referentes sic interpretantur: *hymnum lamentationibus tamquam sertis floreis redimire, exornare.* Dind. et Herm. commate post *νόμος* interpungunt; sed quid sit *ἐπανθίζειν* accusativo objecto carens, non explicant neque ego intelligere possum. Weil et quia *ἐπανθίζειν* objectum desideret et ob rationem antitheticam lacunam post *νόμος* statuit, quam hoc fere modo explendam esse putat: *τὰς νερτέροισι τάσδε γαπότους δόσεις.* Sept. 951 vulgo exponitur: *vos, qui domum calamitatibus quasi coronastis.* Has fere explicationes illorum locorum ab editoribus prolatas esse invenio, quarum tamen nulla est, quae difficultates non habeat. Mihi persuadere non possum Aeschylum dixisse »sanguinem tamquam florem sibi induere«, »lamentationibus hymnum redimire«, »domum malis coronare«, quibus imaginibus nihil ineptius, nihil inelegantius cogitari posse mihi videtur. Neque mihi magis placet illud: »facere, ut piaculum caedis florescat«; quod et imaginem parum aptam exhibet et a propria vi verbi *ἐπανθίζειν*, quae est *flores in aliqua re ponere, floribus exornare*, nimis longe recedit. »Carpsisti sanguinem«, ut Weil *ἐπηνθίσω αἷμα* vertit, eo confirmari videtur, quod etiam Sept. 718 (vide p. 49) et alibi is, qui caedem committit, sanguinis flores carpere dicitur. Sed haec carpendi imago, licet illi loco conveniat, a ceteris, in quibus *ἐπανθίζειν* translate usurpatur, quam maxime aliena est; quo accedit, quod haec quoque vis a propria tam longe abest, ut, quomodo orta sit,

intelligi non possit. Locos illos, quos supra attuli, diligenter examinanti et inter se comparanti apertum mihi videtur Aeschylum in iis omnibus ἐπανθίζειν eadem vi usurpasse. Mea sententia res ita se habet: quia ἀνθεῖν imagine florentis plantae vel arboris obversante in significationem *abundandi* transmigraverat, facile fieri potuit, ut ἐπανθίζειν vim transitivam illi intransitivae, quae in ἀνθεῖν inerat, respondentem acciperet, propria vi posterioris compositi partis, si non plane exstincta, at tamen paene obscurata. Neque igitur de coronando floribus neque de carpendo cogitandum est, sed vertendum: *facere, ut abundet aliquid, abunde aliquid aliqua re tegere.* Ita omnes illi loci optime explicantur. ἐπηνθίσω αἷμα est: piaculo caede commissa te abunde texisti, i. e. multo piaculo te obstrinxisti. Ne quis in accusativo αἷμα offendat, moneo verba *tegendi* interdum ita construi, ut dativus ejus rei, *quam* tegat aliquis, accusativus ejus rei, *qua* tegat, sequatur; velut praeter καλύπτειν τινά τινι invenitur etiam καλύπτειν τινί τι. Vide Hom. Il. 5, 315; 21, 321. πόνοισι ἐπανθίσαντες γενεάν significat: *qui gentem malis obruistis.* Quod ad Choeph. 150 attinet, quamquam fortasse κωκυτοῖς ἐπανθίζειν παιᾶνα, *hymnum lamentationibus replere,* dici poterat, tamen, quia sic ἐξανδωμένας nimis languide adjiceretur, inclinat animus,. ut Weilio assentiar lacunam post νόμος statuenti, praesertim quum ratio antithetica idem ostendere videatur. — Etiam verbum ἀπανθίζειν, quod interpretes multum vexavit, facillime explicatur, si posteriore compositi parte nihil nisi abundantiam quandam declarari statuimus. Ag. 1662: ἀλλὰ τούσδ' ἐμοὶ ματαίαν γλῶσσαν ὧδ' ἀπανθίσαι, *inanem linguam*, i. e. *maledicta contra me abunde emittere.* Notio emittendi in praepositione ἀπό inest. Omnes fere vertunt: linguae florem decerpere. Sed num *inanem linguae florem decerpere* pro: *inania ac vana loqui* dici possit, dubito. — Neque magis Suppl. 73: γοεδνὰ δ' ἀνθεμίζομαι cum scholiasta τῶν γόων τὸ ἄνθος ἀποδρέπομαι, *florem querelarum carpo,* explicare volo, sed ita verto: *querelas abunde edo.*

§ 2. Verbum θάλλειν, quod de plantis luxuriantibus et virentibus proprie dicitur, ad alias res ita transfertur, ut omnino *vigere* exprimat. Suppl. 854: μήποτε πάλιν ἴδοιμ'

ἀλφεσίβοιον ὕδωρ, ἔνθεν ἀεξόμενον ζώφυτον αἷμα βροτοῖσι θάλλει. Aqua Nili efficit, ut sanguis hominum *vigeat.* Etiam *ζώφυτον, vitam alens*, translationem a plantis continet. — *θάλλειν* translate usurpatur etiam Suppl. 103: *ἰδέσθω δ' εἰς ὕβριν βρότειον, οἵα νεάζει, πυθμὴν δι' ἀμὸν γάμον τεθαλὼς δυσπαραβούλοισι φρεσί.* Non recte sententiam hujus loci intellexit schol., qui ad *πυθμήν* adscripsit: *ἡ ῥίζα τῶν πεντήκοντα παίδων, ὅ ἐστιν αὐτὸς ὁ Αἴγυπτος,* unde apparet eum ita sensisse, *πυθμήν* esse Aegyptum sic vocatum, quia ex eo, tamquam ex stirpe, quinquaginta filii nati essent. Sed ut hic non de Aegypto, sed de filiis ejus et de superbia eorum cogitetur, ipsa sententia necessario postulat. Horum igitur superbia cum arbore virente comparatur, quae, ut vera arbor frondes et ramos, mala consilia gignit. *πυθμήν* sine particula comparativa appositum est. Vertendum est igitur: animum adverte superbiam hominum, qualis pullulet, tamquam arbor, quae ob meas nuptias malis consiliis viret. De vocabulis propriis et translatis mixtis vide p. 34. — Difficile est vocabulum *ἀμφιθαλής,* quod semel apud Homerum reperitur, Il. 22, 496: *τὸν δὲ καὶ ἀμφιθαλὴς ἐκ δαιτύος ἐστυφέλιξεν,* ubi olim vertebatur *patrimus et matrimus* (Schol. ad Ar. Av. 1733: *ἀμφοτέροις γονεῦσι θάλλων καὶ μηδενὸς ὠρφανισμένος*), nunc a plerisque *undique affluens, dives.* Bis ab Aeschylo usurpatur. Ag. 1145 vitam lusciniae dicit *ἀμφιθαλῆ κακοῖς,* quod nihil significare potest nisi *malorum plenam*, ut item atque in *ἀνθεῖν* et *ἐπανθίζειν* imagine florendi *copia, abundantia* exprimatur. Difficilior est alter locus, Choeph. 394: *καὶ πότ' ἂν ἀμφιθαλὴς Ζεὺς ἐπὶ χεῖρα βάλοι;* Schol. explicat: *ὁ ποιήσων ἄμφω ἡμᾶς ἀναθηλῆσαι.* Hoc probat Blomfield, qui vertit: *utrosque florere faciens.* Plerique ei similem significationem atque in loco illo Homerico tribuunt: *in opulentia vivens, praepotens,* ut epitheton ornans, quod vocant, dei supremi sit. Weil id ad duplicem, quam chorus praesagiverit, caedem refert monens talium compositorum partem secundam non esse ad vivum resecandam. Quae explicatio praeferenda sit, pro certo affirmare non audeo; nulla mihi admodum placet. Fortasse scriptura corrupta est; Meineke (Philol. 19, p.

217) *ἀμφιλαφής*, praepotens, scribendum esse conjicit. — A *θάλλειν* non multum differt *βρύειν*, et ipsum de plantis luxuriose crescentibus proprium; quare ad vim *ubertatis*, *abundantiae* indicandam aptum est. Ut alia hujus generis verba, *βρύειν* genitivum regit, pro quo tamen etiam dativus instrumentalis, qui vocatur, poni potest. Choeph. 69: *διαλγὴς δ'ἄτα διαφέρει τὸν αἴτιον παναρκέτας νόσου βρύειν*, *ut satietate malorum abundet.* Suppl. 966: *ἀλλ' ἀντ' ἀγαθῶν ἀγαθοῖσι βρύοις.* Fr. 281: *τὸ Φοίβου στόμα μαντικῇ βρύον τέχνῃ.* — Perapte hac imagine nimis luxuriantis plantae illustratur animus superbiens et nimis se efferens. Ag. 169 de Saturno: *παμμάχῳ θράσει βρύων.* Suppl. 877: *λύμας εἰς σὺ πρὸ γᾶς ὑλάσκων περιχαμπτὰ βρυάζεις.* Quamquam cetera hujus loci verba misere corrupta sunt, non est tamen, quod de veritate scripturae *βρυάζεις* dubitemus. Vertendum esse videtur: *te jactas, insolenter te geris.* Commemoranda est etiam adnotatio Hesychii: *βρυαζούσης λεαίνης: ἐν Ἀθάμαντι, ἀκμαζούσης ἢ ἐγκύμονος.* Incertum est tamen, utrum hoc ex Athamante Aeschyli an Sophoclis sumptum sit. Et vis *validi*, *robusti* (*ἀκμαζούσης*) et vis *praegnantis* (*ἐγκύμονος*) bene ex primaria significatione duci posse videtur, quamquam neutra alio exemplo, quantum scio, confirmatur.

§ 3. Nihil est magis tritum et pervulgatum quam ea verba, quae proprie ad *incrementa* plantarum referuntur et prosilire, progerminare, similia significant, ad alias quaslibet res ita transferri, ut omnino notionem *nascendi*, *oriendi* exprimant. Latissime patet translatus usus verbi *φύειν;* qui quum apud omnes non modo poeticae, sed etiam solutae orationis scriptores pervulgatus sit, nemo, opinor, desiderabit, ut omnia ejus exempla, quae apud Aeschylum inveniuntur, afferam. Non tamen praetereunda esse censeo nonnulla ex *φύειν* composita vocabula, in quibus primaria significatio non prorsus exstincta videtur. Adjectivum *σύμφυτος* imagine a plantis vel surculis, qui coaluerunt, repetita omnino de rebus arctissime conjunctis dicitur. Ag. 105: *ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει πειθὼ μολπᾶν ἀλκᾷ σύμφυτος αἰών.* *Etiamnunc enim divinitus mihi suadam carminum inspirat aetas cum robore conjuncta.* — Ad discordias in domo Agamemnonis

inhaerentes adhibetur Ag. 151: *σπευδομένα θυσίαν νεικέων τέκτονα σύμφυτον.* Animadvertendum est *σύμφυτον,* quamquam forma sua grammatica, quae dicitur, ad *τέκτονα* accommodatum est, tamen, si rem ipsam et sententiam respexeris, ad *νεικέων* pertinere. Haud insolita est quum apud alios poetas Graecos tum praesertim apud tragicos ea verborum junctura, qua adjectivum, quod ad genitivum quendam proprie pertinet, cum substantivo genitivum regente conjungatur. Cujus usus causa inde repetenda est, quod genitivus et substantivum, quo regitur, in unam quandam notionem coalescunt, eodem fere modo, quo nos substantivis compositis utimur. Ut ad locum illum Agamemnonis revertamur, ibi discordiae cum domo coaluisse, i. e. in ea penitus inhaerere dicuntur. — Commemorari debet etiam *προςφύειν,* quod reperitur Suppl. 276: *καὶ ταῦτ' ἀληθῆ πάντα προςφύσω λόγῳ.* Non satis perspicua mihi videtur explicatio Hermanni: haec omnia ita sermoni aptabo, ut vera esse appareat. Ita fere translationem, quae est in *προςφύσω,* expedire volo: *προςφύειν* proprie est *facere, ut aliquid coalescat* et, quum id, quod coaluit, fixum et immotum maneat, significationem accipit: *facere, ut aliquid certum fiat et comprobetur, confirmare.* Dativus *λόγῳ* est instrumentalis. Recte igitur schol. explicat: *ἀντὶ τοῦ ἀποδείξω.* Exemplum simillimum est Arist. Nub. 371: *τοῦτό γέ τοι δὴ τῷ νῦν λόγῳ εὖ προςέφυσας.* — Duos locos adjungo, ubi a *φυτόν planta* translatio fit. Suppl. 281: *καὶ Νεῖλος ἂν θρέψειε τοιοῦτον φυτόν. φυτόν* hic pro prole dictum est. — *φυτουργός,* proprie *sator*, ut hoc Latinum vocabulum, idem est atque pater Suppl. 592: *πατὴρ φυτουργὸς αὐτόχειρ ἄναξ.*

Frequens etiam est translatio verbi *βλαστάνειν,* quod quum in plantis *pullulantibus* proprium suum domicilium habeat, etiam de aliis rebus sensu *nascendi* usurpatur, praesertim adjuncta ubertatis significatione. Ag. 755: *ἐκ δ' ἀγαθᾶς τύχας γένει βλαστάνειν ἀκόρεστον οἰζύν.* Sept. 594: *βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος, ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.* — *βλαστεῖν* transitivo sensu ponitur, ut sit *gignere, creare*, Choeph. 589: *βλαστοῦσι καὶ πεδαίχμιοι λαμπάδες πεδάοροι πτανά τε καὶ πεδοβάμονα*

κἀνεμόεντ' ἂν αἰγίδων φράσαι κότον. Ad *βλαστοῦσι* pertinet scholion *γεννῶσι καὶ αὔξουσι.* Spectari videtur vetus fabula, qua bestiae quaedam aëre et solis luce creari fingebantur. Attamen nescio an jure Meineke (Philol. 19, p. 218) *βλαστεῖν* transitive usurpari posse negaverit et pro eo *φύουσι* scripserit; is locus, qui, ut talis usus probetur, afferri solet (Soph. Fr. 235: *βλαστουμένη ὀπώρα*), valde incertus est. — *βλάστημα* non solum de germinibus plantarum, quae significatio primaria fuit, sed etiam de subole hominum ponitur. Sept. 532: *μητρὸς ἐξ ὀρεσκόου βλάστημα καλλίπρῳρον.* — Item *βλαστημός* Suppl. 317: *τίν' οὖν ἔτ' ἄλλον τῆσδε βλαστημὸν λέγεις;* — Insolenter *βλαστημός* est vigor et vires corporis Sept. 12: *καὶ τὸν ἔξηβον χρόνῳ, βλαστημὸν ἀλδαίνοντα σώματος πάλιν.* Senes igitur jubentur ad pugnam instantem vires corporum curare et reficere. Herm. scribit *βλαστησμόν.* — Etiam *ἔρνος,* proprie *germen*, omnino *prolem* significat. Ag. 1525: *ἀλλ' ἐμὸν ἐκ τοῦδ' ἔρνος ἀερθέν.* Cfr Hom. Il. 18, 56: *ὁ δ' ἀνέδραμεν ἔρνεϊ ἶσος.* Eum. 660: *ἥ δ' ἅπερ ξένῳ ξένη ἔσωσεν ἔρνος.* Eum. 666: *ἀλλ' οἷον ἔρνος οὔτις ἂν τέκοι θεός.* — Imaginem plantae crescentis habemus etiam Ag. 76: *ὅ τε γὰρ νεαρὸς μυελὸς στέρνων ἐντὸς ἀνᾴσσων. ἀνᾴσσων* (sic enim nunc vulgo scribitur pro *ἀνάσσων,* quod omnes libri habent), proprie *exsiliens, celeriter se attollens,* hic spectat ad plantam ex terra prosilientem; quae imago bene ad medullam infantium nondum adultam, sed adolescentem adhibetur.

§ 4. Afferantur iam aliquot imagines a quibusdam partibus plantarum ductae atque primum eas, quae *radicem* spectant, consideremus. Quoniam radix est infima pars plantae, saepe nomine *ῥίζας* appellatur id, quod in aliqua re infimum est; ita de monte Prom. 365: *ἰπούμενος ῥίζαισιν Αἰτναίαις ὕπο.* — Imae regiones terrae ita appellantur Prom. 1046: *χθόνα δ' ἐκ πυθμένων αὐταῖς ῥίζαις πνεῦμα κραδαίνοι.* — A nostro more plane abhorret, quod radix interdum pro progenie dicitur, scilicet, quia semen, ex quo radix exsistit, cogitatur. Sic *ῥίζωμα* transfertur Sept. 412: *σπαρτῶν δ' ἀπ' ἀνδρῶν, ὧν Ἄρης ἐφείσατο, ῥίζωμ' ἀνεῖται.* Manifestum est *σπαρτῶν* hic ambigue dictum esse et sequenti

ῥίζωμα opponi; *σπαρτοί* etiam eo sensu vocantur, quod ejus radicis, quae est Melanippus, tamquam semina sunt. Aliud ejusdem translationis exemplum est Sept. 752, ubi de Oedipo hoc dicitur: *ὅστε ματρὸς ἁγνὰν σπείρας ἄρουραν, ἵν' ἐτράφη, ῥίζαν αἱματόεσσαν ἔτλα.* Si ita recte scribitur, *ἔτλα* participium *σπείρας* regit et ex *σπείρας* duo accusativi pendent. Praeterea monendum est *ῥίζαν* nisi per prolepsin quandam, quam vocant, cum *σπείρας* conjungi non posse; non est enim *ῥίζα* ipsum id, quod seritur, sed id, quod ex eo, quod seritur, exsistit, hic liberi Oedipi. — Statuae deorum *πρόρριζα,* i. e. funditus, everti dicuntur imagine arborem spectante, quae radicitus evellitur, Pers. 811: *δαιμόνων ἱδρύματα πρόρριζα φύρδην ἐξανέστραπται βάθρων.* — Similis est locus Sept. 71, ubi de urbis excidio tamquam de arbore radicitus evellenda dicitur: *μή μοι πόλιν γε πρέμνοθεν πανώλεθρον ἐκθαμνίσητε δηάλωτον.* Pro *πρυμνόθεν,* quae codicum lectio est, nunc a plerisque scribitur *πρέμνοθεν,* quod quum a *πρέμνον* ductum sit et proprie *stirpitus* significet, egregie ei metaphorae, quae est in *ἐκθαμνίσητε,* convenit. Quare haec lectio lectioni codicum praeferenda esse mihi videtur, ut valde mirer nonnullos (v. c. Wellauer, Lex. Aesch., Pape, Griech. Wörterb.) illam retinuisse explicantes *ex puppi;* nam si ita esset, duae diversissimae imagines permiscerentur, id quod ab Aeschyli consuetudine abhorret. Hunc locum respicienti persuasissimum mihi est etiam Sept. 1056 *πρέμνοθεν* scribendum esse, ut sit: *αἴτ' Οἰδιπόδα γένος ὠλέσατε πρέμνοθεν οὕτως,* et metaphoram ab exstirpatione arboris repetendam. — Quod imago arboris stirpitus evulsae cogitabatur, factum esse credo, ut *αὐτόπρεμνος,* quod proprie est *cum ipsa stirpe,* vim *totius* acciperet Eum. 401: *γῆν, ἣν ἔνειμαν αὐτόπρεμνον ἐς τὸ πᾶν ἐμοί.* — A *πρέμνον* significatu nihil differt *πυθμήν,* quod quum omnino sit ima pars alicujus rei, etiam de stirpe sive imo trunco dicitur. Ab hac significatione nonnullis locis translatio fit. Suppl. 103, de quo loco supra (p. 52) disputavimus, cum stirpe comparatur insolentia Aegyptiadum, ex qua mala consilia tamquam germina nascuntur. — Metaphora etiam in nostra lingua tritissima *πυθμήν* est *familia,* quippe ex qua proge-

nies tamquam ex stirpe progerminet. Choeph. 260: *οὔτ' ἀρχικός σοι πᾶς ὅδ' αὐανθεὶς πυθμὴν βωμοῖς ἀρήξει.* Ad imaginem stirpis accommodatum est *αὐανθείς,* cujus propria vis est *arefactus.* — Cum stirpe comparatio fit etiam Choeph. 204: *εἰ δὲ χρὴ τυχεῖν σωτηρίας, σμικροῦ γένοιτ' ἂν σπέρματος μέγας πυθμήν.* Electra viso cincinno fratris dicit, si sibi fato constitutum sit, ut salutem adipiscatur, ex parvo semine magnam stirpem orituram, i. e. ex levi exiguaque re magnam felicitatem.

§ 5. Sequitur iam, ut de imaginibus *fructus* loquamur; unde translationem primum ita saepe fieri constat, ut *id, quod aliqua re efficiatur, eventus, exitus* denotetur, perinde atque fructus ex flore oritur. Hanc imaginem plenius explicatam invenimus Pers. 821, ubi flos superbiae spicam impietatis tamquam fructum ferre dicitur: *ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν ἄτης.* — *πικρόκαρπος,* proprie *amaros fructus ferens,* translate *pestiferum* significat Sept. 693: *πικρόκαρπον ἀνδροκτασίαν τελεῖν.* — *καρπός* de exitu oraculorum ponitur Sept. 618: *εἰ καρπὸς ἔσται θεσφάτοισι Λοξίου,* si futurum est, ut oracula L. vera evadant. — Ita *ἀκάρπωτος* ad oraculum relatum *eventum non habens* significat. Eum. 714: *κἄγωγε χρησμοὺς τοὺς ἐμούς τε καὶ Διὸς ταρβεῖν κελεύω μηδ' ἀκαρπώτους κτίσαι.* — Locus dubius et qui interpretes multum vexaverit, est Sept. 599:

ἐν παντὶ πράγει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς
κάκιον οὐδέν, καρπὸς ἧς ἀσύμφορος.

καρπὸς ἧς ἀσύμφορος est conjectura parum felix Dindorfii pro codicum *καρπὸς οὐ κομιστέος.* Deinde in codicibus sequitur hic versus: *ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται,* qui versus a plerisque criticis damnatur. Weil solus, quantum scio, eum defendit, quem videas. Ut ipse quid sentiam eloquar, neque intelligo, quid in his verbis tantum offendat, et rationes, quae a Weilio, ut ea recte se habere demonstret, proferuntur, valde probabiles mihi videntur. Utcunque est (difficile enim est aliquid pro certo affirmare), versus ille et ad sententiam et ad verba notam quandam nostri poetae ita gerere expressam videtur, ut vix dubitem, quin vere Aeschyleus sit. Quare etiamsi hoc loco perperam

illatus sit, credibile est eum ex alia Aeschyli tragoedia sumptum esse; quam Hermanni sententiam esse video. Valde similis est ei loco, quem supra commemoravi, Pers. 821. Ager improbitatis mortem tamquam fructum ferre dicitur.

Plane aliter *κάρπωμα* transfertur Suppl. 1001. De versibus 998—1002, quos codices aperte corruptos praebent, inter editores non convenit, quomodo scribendi sint. Dindorf eos emendare ne conatus est quidem, sed immutatos et uncinis inclusos in textum suum intulit. His omissis eas emendationes commemorabo, quae ab Hermanno et Weilio prolatae sunt. Ille scribit:

τέρειν' ὀπώρα δ' εὐφύλακτος οὐδαμῶς,
θῆραις δὲ κηραίνουσί νιν βροτοί. τί μήν;
καὶ κνώδαλα πτεροῦντα καὶ πεδοστιβῆ
καὶ νηκτὰ πάντως ἐστὶν ἁρπάζοντ' ἰδεῖν
καρπώμαθ, ἃ στάζοντα κηρύσσει Κύπρις
κἄωρα κωλύουσά θ' ὡς μένειν ὅρῳ.

Quartum versum ipse invenit pro eo, quem excidisse putat. Illa ita explicat: »laedunt teneram aetatem persequendo homines: quid vero? etiam bestias et pennigeras et in solo incedentes et natantes videas fructum captare, quem emergentem Venus nuntiat etiam immaturum et arcens ut maneant intra terminum«. Weil scribit:

τέρειν' ὀπώρα δ' εὐφύλακτος οὐδαμῶς.
θεοί σφε κηραίνουσι καὶ βροτοί. τί μήν;
καὶ κνώδαλα πτεροῦντα καὶ πεδοστιβῆ
καρπώμαθ', ἃ στάζοντα κηρύσσει Κύπρις,
ὥραν κολούει κἄνθος οὐ μένειν ἐᾷ.

Idem addit poetam a voce *ὀπώρα,* qua supra usus sit, progredi ad translationem a pomis turgidis sucoque fluentibus desumptam. Quamquam versus illi magna obscuritate laborant, quam neutra emendationum, quas supra attuli, plane tollit, haec tamen pro certo affirmari posse credo: *ὀπώρα,* qua voce appellari solebat id anni tempus, quo fruges maturescunt, hic ad teneram aetatem puellarum vix puberum transfertur; item Suppl. 1015: *ἐμῆς δ' ὀπώρας οὕνεκ' εὖ*

θάρσει; huic imagini consentaneum esse, quod virginitas *κάρπωμα, fructus,* appelletur.

πέπων proprie de *maturis* fructibus dicebatur; et quia fructus, quum maturescunt, mollitiem accipiunt, hoc vocabulum, ut alia, quae mollitiem significant, ad notionem *mitis* vel *suavis* indicandam translatum est. Eum. 66: *ἐχθροῖσι τοῖς σοῖς οὐ γενήσομαι πέπων.* Ag. 1365: *πεπαιτέρα γὰρ μοῖρα τῆς τυραννίδος, mors tyrannide suavior est.* — *πέπων* clementiam animi declarat etiam Fr. 259: *ἀνὴρ δ᾽ἐκεῖνος ἦν πεπαίτερος μόρων,* vir ille moris (suetice »mulbär») mitior erat. Iam Homerus hac voce in blandis allocutionibus utitur, velut Od. 9, 447: *κριὲ πέπον,* care aries; cfr Il. 17, 120; 6, 55. Eadem vox reprehensionem habet, ut homo timidus et mollis indicetur, Il. 2, 235; 13, 120. — *ἀθήρ, proprie *arista spicae,* de spiculo hastae ponitur, ut testatur Hesychius: *ἀθήρ· ἐπιδορατίς. Αἰσχύλος Νηρεΐσι.* Cfr Anecd. Bekk. p. 353, 16: *ἀθήρ: ἀκμὴ τοῦ ἠκονημένου σιδήρου, κατὰ μεταφορὰν ἀπὸ τοῦ ἀθέρος, ὅς ἐστι τοῦ ἀστάχυος. λέγεται δὲ καὶ ἡ ἐπιδορατὶς ἀθήρ.*

§ 6. Pulcherrime senex cum arbore, cujus folia marcescunt, comparatur Ag. 79: *τό θ᾽ὑπεργήρων φυλλάδος ἤδη κατακαρφομένης.* — Quam gratus et utilis domo sit reditus mariti, Clytaemnestra declarat similitudine arboris, quae, dum radix viget, frondes supra aedes extendit, ita umbram adversus aestum Sirii praebens, Ag. 966, de quo loco infra fusius disputabimus. — Seges in similitudine memoratur Ag. 1392; vide p. 33.

Cap. IV.

Imagines a bestiis sumptae.

Nemini, qui quidem Homerum legerit, ignotum est, quantam ille similitudinum copiam a bestiis, et feris et cicuribus, earumque vita et natura desumpserit. Neque minor est apud Aeschylum talium imaginum numerus, quas ad

tractandas nunc me converto. Quam quidem disputationem ita instituere aptum mihi videtur, ut primum eos locos, qui magis universe naturam bestiarum spectant, percenseam, deinde ad eos, in quibus singulae bestiae nominantur, persequendos transgrediar atque eo quidem ordine, ut ab inferioribus bestiis semper ad superiores gradum faciam.

§ 1. Prioris generis imagines non multas inveni. Primum illud pervulgatum commemoro eos, qui saevi ac crudeles sint, feras vocari vel animum ferarum habere dici. Eum. 644 Apollo Furias appellat *παντομισῆ κνώδαλα.* Suppl. 762 de filiis Aegypti: *ὡς καὶ ματαίων ἀνοσίων τε κνωδάλων ἔχοντας ὀργὰς χρὴ φυλάσσεσθαι κράτος.* — Aliter, sed elegantissime imagine ferae usus est Ag. 1063, ubi chorus mores Cassandrae contumaciter se gerentis neque imperio Clytaemnestrae parere volentis ferae nuper captae similes dicit: *τρόπος δὲ θηρὸς ὡς νεαιρέτου.* — Praesertim vis *vastandi, perdendi* vocabulis, quae ad bestias rapaces proprie referuntur, designatur. Ita flumina ignea, quae ex Aetna monte erumpunt, arva Siciliae saevis dentibus, scilicet tamquam fera praedam, laniant, Prom. 368: *ποταμοὶ πυρὸς δάπτοντες ἀγρίαις γνάθοις τῆς καλλικάρπου Σικελίας λευροὺς γύας.* Saepius translate usurpatur hoc vocabulum *γνάθος maxilla;* quod licet etiam in hominibus proprie dicatur, tamen, quum ita transfertur, ut vastatio, consumptio indicetur, imaginem bestiae voracis obversari jure contendere mihi videor. — Igni, cujus vis in absumendo cernitur, *γνάθος* tribuitur Choeph. 325: *φρόνημα τοῦ θανόντος οὐ δαμάζει πυρὸς μαλερὰ γνάθος.* — Item impetigini, quae carnem tamquam exedit, Choeph. 280: *σαρκῶν ἐπαμβατῆρας ἀγρίαις γνάθοις λειχῆνας ἐξέσθοντας ἀρχαίαν φύσιν.* — Non dissimili ratione *γνάθος* ad acutum ferrum transfertur Prom. 64: *ἀδαμαντίνου νῦν σφηνὸς αὐθάδη γνάθον στέρνων διαμπὰξ πασσάλευ' ἐρρωμένως.* Acumen cunei ferrei, quo Vulcanus pectus Promethei transfigit, *γνάθος* vocatur, quippe quod vulnere suo ei tamquam morsum imprimat. Comparari potest, quod *γένυς securis* est Soph. El. 196, 485. Phil. 1205. Vide etiam ea, quae infra sequentur, exempla talis usus verborum *mordere* significantium, ut omnino *vulnerare* indicent. Quum iam in eo versemur, ut translatum

usum vocabuli *γνάθος* exponamus, unum locum liceat adjicere, ubi tamen incertum est an metaphora ab hominis maxilla petita sit. Prom. 726: *τραχεῖα πόντου Σαλμυδεσσία γνάθος.* Bosporus Thracius, quod Ponti Euxini ostium est, spectatur. Hic, ut saepe, synecdoche cum metaphora conjungitur; maxilla dicitur pro ore et os pro ostio maris, ut alias *στόμωμα.* Confer, quod Latini *fauces* pro ostio dicebant.

Iam indicavi *mordere* dici posse pro: *vulnerare.* Ita transfertur *δάκνειν* Sept. 399: *λόφοι δὲ κώδων τ' οὐ δάκνουσ' ἄνευ δορός.* — Praesertim imagine mordendi illustratur id, quod *animum* vulnerat, saepissime id, quod ira vel maerore afficit, sicut Hom. Il. 5, 493: *δάκε δὲ φρένας Ἕκτορι μῦθος.* Od. 8, 185: *θυμοδακής.* Ag. 1164: *πέπληγμαι δ' ὅπως δήγματι φοινίῳ δυσαλγεῖ τύχᾳ. ὅπως* nunc vulgo scribitur pro *ὑπό* vel *ὑπαί,* quod codices exhibent. Herm. scribit *ὅπως δάκει, tamquam bellua,* comparans Pind. Pyth. 2, 53: *ἐμὲ δὲ χρεὼν φεύγειν δάκος ἀδινὸν κακαγοριᾶν.* Ag. 791: *δῆγμα δὲ λύπης οὐδὲν ἐφ' ἧπαρ προσικνεῖται.* Pers. 846: *μάλιστα δ' ἥδε συμφορὰ δάκνει.* Eum. 638: *ταύτην τοιαύτην εἶπον, ὡς δηχθῇ λεώς,* ut animi populi irritarentur. — Per similem translationem *δακνάζεσθαι maerere* significat Pers. 571: *στένε καὶ δακνάζου.* — Sept. 692: *ὠμοδακής σ' ἄγαν ἵμερος ἐξοτρύνει πικρόκαρπον ἀνδροκτασίαν τελεῖν. ὠμοδακής* est *animum vehementer irritans, stimulans.* — Ag. 743 Helena appellatur *δηξίθυμον ἔρωτος ἄνθος.* Enger *θελξίθυμον* conjecit speciose, sed praeter necessitatem; nam certissimis exemplis (Eur. Hipp. 696, Soph. Fragm. 721) confirmatur *δάκνειν* de amore dici posse, scilicet quia animum vulnerare et ei dolores afferre cogitabatur. Ceterum nemo non sentit *δηξίθυμον* et *ἄνθος,* ita conjuncta, elegantissimum oxymoron efficere, quod idem paulo supra in *μαλθακὸν βέλος* cernitur. — Unus locus superest, in quo *δάκνειν* translate usurpatur, Choeph. 841:

καὶ τόδ' ἀμφέρειν δόμοις
γένοιτ' ἂν ἄχθος αἱματοσταγὲς φόνῳ
τῷ πρόσθεν ἑλκαίνουσι καὶ δεδηγμένοις.

Caedes Agamemnonis, quippe quae domo ejus multorum

malorum et gravissimi luctus causa esset, ei tamquam morsum, quo ulcus ortum est, inflixit; imaginem ad venenatam aliquam bestiam referendam puto, praesertim quum ἕλκος maxime de vulneribus suppurantibus usurpatum sit. **ἑλκαίνουσι καὶ δεδηγμένοις,** quum hoc illud tempore antecesserit necesse sit, hysteron proteron, quod vocatur, est. Herm. **ἑλκαίνοντι καὶ δεδηγμένῳ,** quae librorum lectio est, retinet, haec verba transitivo sensu accipiens: *caedi vulneranti nos et mordenti.* Sed transitivae significationis verbi **δάκνεσθαι** nullum exemplum scio. — **δάπτειν,** quod proprie in feris praedam suam lacerantibus dicebatur, ad dolorem cor cruciantem et vexantem transfertur. Prom. 437: **συννοίᾳ δάπτομαι κέαρ.** Cfr Soph. Oed. R. 681: **δάπτει δὲ καὶ τὸ μὴ ἔνδικον**[1]). Non dissimile est illud Homericum **δαίεται ἦτορ,** cor dilaceratur; vide Od. 1, 48.

νεοσσός, proprie *pullus bestiae,* de progenie hominis ponitur. Choeph. 256: **σε τιμῶντος πατρὸς νεοσσοὺς τούσδ' ἀποφθείρας.** Choeph. 501: **ἰδὼν νεοσσοὺς τούσδ' ἐφημένους τάφῳ.** Ut hoc nomine Orestem et Electram designaret, probabiliter poetam adduxit ea, quae est in v. 248 ejusdem tragoediae similitudo, qua Agamemno cum aquila confertur.

Huc pertinet Eum. 473:

ἄλλως τε καὶ σὺ μὲν κατηρτυκὼς νόμῳ
ἱκέτης προσῆλθες καθαρὸς ἀβλαβὴς δόμοις
ἐμοῖς.

Quid proprie significet *κατηρτυκώς,* exponit Hesychius: *κατηρτυκώς·* **τελείως** (Pro **τελείως** Herm. **τελειώσας,** Weil **τέλειος** vel **τελειωθείς** scribendum conjicit). **κυρίως δὲ ἐπὶ τῶν ἀλόγων ζώων, ὅταν ἐκβάλῃ πάντας τοὺς ὀδόντας.** Ita igitur appellabantur bestiae, quum omnes dentes pullinos, qui vocantur, mutavissent; quod quum ostendat eas iam ad justam magnitudinem pervenisse, facile intelligitur vocabulum illud ad vim *maturi* deflexum esse. Hoc recte intellexit etiam schol., qui adnotavit: **τέλειος τὴν ἡλικίαν. τοῦτο δὲ ἀπὸ τῶν ζῴων,** sed, quum hoc ad *maturam aetatem* referret, vereor, ne longe a vero aberraverit. Nam

[1]) Nauck et Blaydes in *δάκνει* mutant.

quum hic id agatur, ut Minerva rationes, quare sibi ipsi causa Orestis judicanda non sit, afferat, quid attinet eam dicere illum iam adultum esse? quasi vero munere judicis magis fungi debuerit, si puer Orestes esset. Haec aperte absurda sunt. Ita explicandum est: Orestes omnibus piaculis rite perpetratis itaque omni sceleris macula eluta supplex quasi maturus est, sicut animalia tum demum matura fiunt, quum omnes dentes pullinos ejecerunt. Sic *κατηρτυκώς* et cum *καθαρὸς ἀβλαβής* et cum universa loci sententia bene congruit. Minerva se dicit judicem Orestis fieri non debere, quoniam supplex rite lustratus sit; suum enim esse talem supplicem tueri, non judicare. Eodem fere modo dicitur *κατηρτυκώς* Eur. Fr. 19: *νῦν δ᾽ ἀμβλύς εἰμι καὶ κατηρτυκὼς κακῶν.*

§ 2. Expositis iam iis imaginibus, quae ad naturam animalium illae quidem, sed non ad singula eorum genera referuntur, nunc ad alterum genus transeo, quod eos locos comprehensurum dixi, in quibus cum certis quibusdam animalibus fieret comparatio. Initium faciant aliquot ab *insectis* ductae imagines. Ag. 1492 et 1516 ea vestis, qua irretitum Clytaemnestra Agamemnonem necavit, cum textis araneis comparatur; ea enim ille ita implicatus erat, ut araneis muscae vel alia insecta: *κεῖσαι δ᾽ ἀράχνης ἐν ὑφάσματι τῷδ᾽ ἀσεβεῖ θανάτῳ βίον ἐκπνέων,* Vide Hom. Od. 8, 280, ubi rete a Vulcano confectum, quo Mars et Venus induuntur, cum araneis comparatur: *ἠύτ᾽ ἀράχνια λεπτά.* — Suppl. 886 Danaides praeconem, quem ad se abripiendas appropinquantem vident, cum aranea comparant: *μαλδαάγει ἄραχνος ὣς βάδην ὄναρ μέλαν μέλαν.* Pro *μαλδαάγει,* quod aperte sensu caret, Herm. scribit *ἀμαλάδ᾽ ἄγει ad navem abducit,* Weil *μάλα δ᾽ ἄγει utique me abripit.* Similitudinis ratio eo contineri videtur, quod praeco gradatim, tamquam aranea quaedam longipes muscam in tela sua adhaerentem, virgines abstrahit. Simul sensus horroris, quem aspectus praeconis in Danaidibus excitat, hujus turpis bestiae commemoratione illustrari videtur. — *Mori ut πυραύστην,* quod genus quoddam erat tinearum, quas in ignem volare solere constat, proverbialiter de iis dicebatur, qui sua ipsorum imprudentia subitam mortem invenirent; hujus pro-

verbii mentionem facit Aesch. Fr. 303: *δέδοικα μῶρον κάρτα πυραύστου μόρον.* — Antiquissimae aetatis homines in specubus subterraneis formicarum instar habitasse dicuntur Prom. 452: *κατώρυχες δ᾽ ἔναιον ὥστ᾽ ἀήσυροι μύρμηκες ἄντρων ἐν μυχοῖς ἀνηλίο‘ς.* — Copiae Xerxis ad Graeciam expugnandam proficiscentes cum examine apium conferuntur; nam ut apes ex alveo, ita illae ex terra sua frequentes et ab uno ductae quasi evolaverunt. Pers. 128: *πᾶς γὰρ ἱππηλάτας καὶ πεδοστιβὴς λεὼς σμῆνος ὣς ἐκλέλοιπεν μελισσᾶν σὺν ὀρχάμῳ στρατοῦ.* Vide Hom. Il. 2, 87—93, ubi agmen Graecorum cum examine apium confertur; qui locus quin huic Aeschyleo exemplar fuerit, non dubito. — Vulgatissima est metaphora, qua *melleum* dicitur, quidquid jucundum atque suave est; praesertim sic dulces voces et soni illustrantur. Hom. Il. 1, 249: *τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.* Cfr etiam Homerica vocabula *μελίγηρυς, μελίφρων.* De blandis verbis Aesch. *μελίγλωσσος* usurpat Prom. 172: *καί μ᾽ οὔτι μελιγλώσσοις πειθοῦς ἐπαοιδαῖσιν θέλξει.*

§ 3. Etiam cum *piscibus* comparatio fit. Pers. 424 in descriptione pugnae Salaminiae Graeci hostes suos remis et fragmentis navium ferire dicuntur, ut thynnos vel jactum aliquem piscium: *τοὶ δ᾽ ὥστε θύννους ἤ τιν᾽ ἰχθύων βόλον ἀγαῖσι κωπῶν θραύμασίν τ᾽ ἐρειπίων ἔπαιον, ἐρράχιζον.* Thynnos in mari Mediterraneo tam confertos natare, ut ex navibus contis necari possint, complures antiqui scriptores commemorant; qua imagine quam eleganter illustrentur Graeci hostes suos remis et fragmentis navium ex navibus ferientes, nemo non sentit. Simul multitudo caesorum et facilitas, qua necantur, exprimitur. *βόλος ἰχθύων* vocatur, quantum piscium uno retis jactu capitur; eodem sensu etiam Latini *jactum* retis dicebant. Aliquem, ut piscem, transfigere dicitur etiam Hom. Od. 10, 124: *ἰχθῦς δ᾽ ὣς πείροντες ἀτερπέα δαῖτα φέροντες.* Fortasse illi quoque captatio thynnorum obversatur. Cfr etiam Achil. Tat. 111, 4: *ἐπείροντο δίκην ἰχθύων.* — Thynnus commemoratur etiam Fr. 297 (Athenaeus 7, p. 303 c): *μνημονεύει δὲ τοῦ θύννου καὶ Αἰσχύλος λέγων: »σφύρας δέχε-*

σθαι κἀπιχαλκεύειν μύδρους ὅς ἀστενακτὶ θύννος ὥς ἠνέσχετο ἄναυδος.» καὶ ἀλλαχοῦ: »τὸ σκαιὸν ὄμμα παραβαλὼν θύννου δίκην.» ὥς τοῦ θύννου τῷ σκαιῷ ὀφθαλμῷ οὐ βλέποντος. Priore loco thynnus, ut saepe pisces, silentii imago est; nihil est tritius quam pisci epitheton *muti* adjici; vide Pers. 577: *σκύλλονται πρὸς ἀναύδων παίδων τᾶς ἀμιάντου.* Altero illo loco, quem Athenaeus ex Aeschylo affert, cum thynno comparatur is, qui sinistro oculo non videt; nam apud Graecos ea opinio erat vulgaris, thynnos sinistro oculo captos esse; vide Herm. ad illud fragm. — *Rete piscatorium* in comparatione commemoratur Choeph. 506, ubi liberi mortui viri famam ejus ita servare dicuntur, ut subera rete sustinent; ceterum de hoc loco infra plura dicemus. — Rete calamitatis, vindictae, similia multis locis dicuntur; quorum quum in aliis incertum videatur, utrum rete venatoris an piscatoris intelligendum sit, in aliis aperte venatio spectetur, eos omnes inter ceteras a venando ductas imagines infra tractabo.

§ 4. *Serpens* et *draco*, fabulosa quaedam bellua, quam Graeci ad serpentis similitudinem animo finxerunt, quum venenatus et rapax ille sit, hic cogitetur, saepe ita commemorantur, ut nequitia vel crudelitas animi declaretur. Praesertim dracones vel serpentes pullos avis aggredientes inducuntur, qua imagine periculum a crudeli hoste alicui impendens illustratur. Ii loci, qui hanc imaginem continent, non dubito quin a nobilissimis illis Homeri versibus Il. 2, 308—319, ubi prodigium Aulide a Graecis visum describitur, ut a suo fonte et exemplari repetendi sint. Ita Thebani cum pullis avis, ii, qui urbem eorum oppugnant, cum draconibus conferuntur. Sept. 289: *μέριμναι ζωπυροῦσι τάρβος τὸν ἀμφιτειχῆ λεών, δράκοντας ὥς τις τέκνων ὑπερδέδοικεν λεχαίων δυςευνάτορας πάντροφος πελειάς,* de quo loco plura infra. Sept. 502: *Παλλὰς ἥδ᾽ ἀγχίπτολις πύλαισι γείτον᾽ ἀνδρὸς ἐχθαίρουσ᾽ ὕβριν εἴρξει νεοσσῶν ὥς δράκοντα δύσχιμον.* Elegantissime eandem imaginem ad Clytaemnestram et liberos Agamemnonis adhibet Choeph. 247:

ἰδοῦ δὲ γένναν εὖνιν αἐτοῦ πατρὸς,
θανόντος ἐν πλεκταῖσι καὶ σπειράμασιν
δεινῆς ἐχίδνης. τοὺς δ᾽ ἀπωρφανισμένους

νῆστις πιέζει λιμός· οὐ γὰρ ἐντελῆς
θήραν πατρῴαν προςφέρειν σκηνήμασιν.

Apparet enim verbis *δεινῆς ἐχίδνης* Clytaemnestram spectari, quae sic ut crudelis et odiosa notatur; ceterum vide infra. — Sunt, qui etiam Ag. 49—59, ubi clamor bellicus Atridarum cum clamore vulturum pullos amissos lugentium comparatur, raptores pullorum angues intelligere velint; ita Herm. Tamen magis in eorum sententiam inclino, qui hic Homericam comparationem Od. 16, 216, cum qua illa Aeschylea magnam sane ostendit similitudinem, animo poetae obversatam esse putant; quod si recte judicatur, raptores avium intelligendi sunt agrestes.

Etiam alibi Clytaemnestra, ut quae nefariam mariti caedem perpetraverit, cum serpente, venenatissima bestia, comparatur. Ita Choeph. 994 Orestes matrem a se paulo ante necatam, ut crudelitatem et impium animum ejus quam maxima vi efferat, hyperbolice dicit muraenam vel viperam fuisse ita venenatam, ut solo tactu suo, vel sine ullo morsu tabem inferret:

τί σοι δοκεῖ; μύραινά γ' εἴτ' ἔχιδν' ἔφυ
σήπειν θιγοῦσ' ἂν ἄλλον οὐ δεδηγμένον
τόλμης ἕκατι κἀδίκου φρονήματος.

Haec vel alia non multum dissimilia legisse videtur schol., qui explicat: *ὑπερβολή· ὅτι καὶ τὸν μὴ δηχθέντα, ἀλλὰ μόνον ἁψάμενον σήπει.* Praeterea manifestum est *μύραιναν* hic non, ut vulgo, esse anguillam, quod animal innocentissimum ad animi feritatem declarandam parum aptum videtur, sed imanem quandam et venenatam belluam fabulosam, cui figura anguillae, foeda sane et turpis, tribuebatur [1]). A ceteris editoribus discedit Herm., cujus scriptura haec est:

ἦ σοι δοκεῖ, μύραινά γ' εἴτ' ἔχιδν' ἔφυ,
σήπειν θιγοῦσ' ἂν μᾶλλον, οὐ δεδηγμένη,
τόλμης ἕκατι κἀδίκου φρονήματος;

»*num tibi videtur, sive muraena sive vipera esset, tactu suo magis tabem illatura esse, non laesa?* **οὐ δεδηγμένη**, sed **ἐξ οὗ τέκνων ἤνεγχ' ὑπὸ ζώνην βάρος.** Hoc igitur dicit, *non potuisset magis laedere innocentem, si bellua fuisset*». — Cly-

[1]) Hesych. *μύραινα· ἐπὶ τοῦ κακοῦ ἐλέγετο, ὡς ἔχιδνα.* Cfr Ar. Ran. 475.

taemnestra et Aegisthus dracones appellantur Choeph. 1047: *δυοῖν δρακόντοιν εὐπετῶς τεμὼν κάρα.*

Comparatione serpentum, a quibus homines naturali quodam odio abhorrere constat, omnino ii, qui odiosi sunt et horrorem injiciunt, illustrantur. Ita *δρακαίνη* collective de Furiis dicitur Eum. 128: *ὕπνος πόνος τε κύριοι συνωμόται δεινῆς δρακαίνης ἐξεκήραναν μένος.* — Suppl. 511 ad Pelasgi verba *οὗτοι πτερωτῶν ἁρπαγαῖς σ' ἐκδώσομεν* virgines respondent: *ἀλλ' εἰ δρακόντων δυσφρόνων ἐχθίοσιν,* filios Aegypti scilicet designantes. — Suppl. 895 eaedem praeconem, qui ad eas corripiendas accedit, cum serpente, qui pedi morsum infixerit, comparant: *μαιμᾷ πέλας δίπους ὄφις, ἔχιδνα δ' ὥς μέ τις πόδ' ἐνδακοῦσ' ἔχει.* — Haud alienum sit comparare etiam Choeph. 526 sequ., ubi Clytaemnestra in somnis anguem parere et ei mammam praebere sibi visa esse narratur; quod designans eadem v. 928, quum Orestem se occisurum esse intelligit, perspecta iam significatione somnii exclamat: *οἴ'γὼ τεκοῦσα τόνδ' ὄφιν ἐθρεψάμην*; quibus in verbis proverbium aliquod nostro illi »nära en orm vid sin egen barm» simile latere videtur.

Haud multum dissimiles sunt nonnulli alii loci, in quibus cum serpente comparatio fit. Sept. 380: *Τυδεὺς δὲ μαργῶν καὶ μάχης λελιμμένος μεσημβριναῖς κλαγγαῖσιν ὡς δράκων βοᾷ.* Clamor Tydei furentis et pugnare gestientis cum sibilo, quem in meridiano calore anguis mittit, confertur; notum est angues, quo major sit calor, eo vividiores et saeviores esse. Ceterum vix opus est monere clamorem bellicum Tydei cum sibilo anguis non ob ullam similitudinem ipsius soni comparari, sed quia utroque saevitia atque ira produntur. — Oculis Xerxis Graeciae bellum inferentis trucem vultum draconis senes Persae attribuunt Pers. 81: *κυανοῦν δ' ὄμμασι λεύσσων φονίου δέργμα δράκοντος,* quae verba, quum a Persis pronuntientur, in bonam partem accipi oportet, ut imagine draconis hic non crudelitas, ut vulgo, sed fortitudo et bellicus ardor illustretur. Terribilem vultum draconis veteres scriptores saepe commemorant; ita iam Hom. Il. 22, 95: (*δράκων*) *σμερδαλέον δὲ δέδορκεν ἑλισσόμενος περὶ χειῇ.* Quaedam serpentum

genera solo obtutu oculorum vim necandi habere putabantur. Vide Plin. Hist. Nat. 29, 4, 19. Fortasse talis fabula Aeschylo obversata est. — Restat, ut afferam Eum. 181: *λαβοῦσα πτηνὸν ἀργηστὴν ὄφιν. ὄφις* est sagitta Apollinis, ita dicta, quia, ut anguis dente, acri suo mucrone icit et vulnera mortifera infligit. Schütz conjicit huic sagittae descriptioni aspectum serpentum, quibus crines Furiarum redimiti essent, occasionem dedisse.

§ 5. Ab amphibiis, quae vocantur, iam ad *aves* transeundum est. Has aëris incolas apud omnes Graecos poetas tam frequenter et in similitudinibus et in metaphoris commemoratas invenimus, ut iis praecipue delectati esse videantur. Atque quod supra dixi, homines ab iis potissimum rebus, quae iis maxime curae essent, imagines sumere, id etiam hac in re comprobatur. Quanto enim amore atque studio Graeci aves amplexi sint, quantumque eas et naturam earum observaverint, ex compluribus rebus apparet. Ut alia omittam, hoc multis modis in religione eorum cernitur; multae aves diis sacrae habebantur, multae narrantur fabulae de hominibus in aves mutatis; quantum Graeci auspiciis tribuerint, inter omnes constat. Etiam Aeschylus magnum numerum imaginum, quae aves spectant, exhibet; quas eundem ordinem atque in toto hoc de imaginibus animalium loco servans ita tractabo, ut primum eas, quae communem avium naturam spectent, exponam, deinde ad singula genera transgrediar.

Primum nobis occurrit magna metaphorarum copia, quae a *volando* depromptae sunt; quarum etiam eas, in quibus aves non plane commemorantur, hic recte locum habere puto, quum credibile sit poetam in iis de avibus, non de aliis volantibus animalibus cogitasse. Volandi imagine praesertim *celeritatis* notio illustratur. Quod iam ab Homero factum videmus; confer haec exempla: Il. 2, 764: *ποδώκεας ὄρνιθας ὥς.* Od. 7, 36: *νέες ὠκεῖαι ὡς εἰ πτερόν* et verbum *πέτεσθαι* vi *currendi* usurpatum. Ita *ποτᾶσθαι* de celeri Graecorum ex Troja reditu ponitur Ag. 575: *ὥς κομπάσαι τῷδ' εἰκὸς ἡλίου φάει ὑπὲρ θαλάσσης καὶ χθονὸς ποτωμένοις.* — Vox humana, quia celeriter per aëra fertur, volare dicitur. Sept. 84: *διὰ πέδον βοᾷ ποτᾶται.* Suppl.

656: *τοιγὰρ ὑποσκίων ἐκ στομάτων ποτάσθω φιλότιμος εὐχά,* precatio volet, sc. ad coelum. Prom. 555: *τὸ διαμφίδιον δέ μοι μέλος προςέπτα.* — Celeritas etiam declaratur, quum Prometheus, Oceanidibus subito ad rupem appropinquantibus, sonum et odorem ad se advolasse dicit. Prom. 115: *τίς ἀχώ, τίς ὀδμὰ προςέπτα μ' ἀφεγγής;* voce *προςέπτα* apte admiratio subitae et necopinatae rei depingitur. — Non dissimile est, quod *προςπέτεσθαι* dicuntur calamitates, quae alicui subito et necopinato accidunt, avis modo celeriter volantis, quae ita subito in conspectum venit, ut nescias, unde veniat. Ita Io de calamitatibus suis et mutatione figurae Prom. 644: *καίτοι καὶ λέγουσ' αἰσχύνομαι θεόσσυτον χειμῶνα καὶ διαφθορὰν μορφῆς, ὅθεν μοι σχεθλίᾳ προςέπτατο.* Simul eo, quod mala sibi advolasse dicit, nescio an quodam modo se ipsam omnis culpae insontem profiteatur. Cfr Soph. Ai. 282: *τίς γάρ ποτ' ἀρχὴ τοῦ κακοῦ προςέπτατο.* Eur. Alc. 420: *κοὐκ ἄφνω κακὸν τόδε προςέπτατο.* — Similiter caligo calamitatis ad aliquem advolare, i. e. subito pervenire dicitur. Pers. 669: *Στυγία γάρ τις ἐπ' ἀχλὺς πεπόταται.* Eum. 378: *τοῖον ἐπὶ κνέφας ἀνδρὶ μύσος πεπόταται.* — Eandem *advolandi* metaphoram, quam de repentinis malis satis vulgarem fuisse exempla, quae supra attuli, ostendunt, subesse puto Suppl. 328: *αἰόλ' ἀνθρώπων κακά. πόνου δ' ἴδοις ἂν οὐδαμοῦ ταὐτὸν πτερόν. πτερόν,* proprie *ala,* hic significare videtur: *modus advolandi,* i. e. *subito adveniendi,* ut haec sit sententia: *varia sunt hominum mala; nusquam enim calamitatem eodem modo ingruere videas.* Plerosque interpretes *πτερόν,* quia volatu avium fata portendi existimarentur, *fatum, exitum* exposuisse video. Quae explicatio mihi minus placet, quum et sententiae loci parum prospiciat, quae postulat, ut ipsa ratio et quasi forma malorum, non exitus eorum indicetur, et talis vocis *πτερόν* significatio nullo alio exemplo confirmetur. — Interdum res, quae celeriter moventur, *alis* instructae appellantur. Ita nihil nisi celeritas indicatur, quum Prometheus ventos, qui rupem circumvolitant, *ταχυπτέρους* vocat. Prom. 88: *ὦ δῖος αἰθὴρ καὶ ταχύπτεροι πνοαί.* Nam de veris alis, quibus instructos deos ventorum saepe ab artificibus Atticis fictos esse videmus, hic non

cogitandum est. — Naves, ut quae celeriter per mare quasi volent, ὠκύπτεροι vocantur Suppl. 734. Sed fortasse poeta hic imaginem inde ab Homero Graecis poetis familiarem in animo habebat, qua remi et vela, quia naves, sicut alae aves, commoverent, alae navis dicebantur. Od. 11, 125: ἐρετμά, τά τε πτερὰ νηυσὶ πέλονται. Od 23, 272. Hesiod. Op. 626: εὐκόσμως στολίσας νηὸς πτερὰ ποντοπόροιο. Quod ad remos attinet, etiam alia similitudinis ratio est ac vis commovendi; nam motus remorum aequabiliter demissorum et sublatorum quam similitudinem cum motu alarum habeat, nemo non sentit. Vide Eustath.: πτερὰ δὲ νηὸς τὰς κώπας λέγει, κρεῖττον ἤπερ ὁ Λυκόφρων τὰ ἱστία. εἰσὶ γὰρ καὶ τάχους αἴτια τῇ νηὶ καὶ τὰ ἱστία, καθὰ καὶ κῶπαι· ἀλλὰ τὸ σχῆμα τῶν πτερῶν μᾶλλον αἱ κῶπαι σώζουσιν, ἤπερ τὰ λαίφεα. Conferri potest Il. 19, 386, ubi arma Achillis ei alae fuisse dicuntur, quia iis se levatum sentiebat: τῷ δ' εὖτε πτερὰ γίνετ', ἄειρε δὲ ποιμένα λαῶν. — Vela aperte spectantur Prom. 468: λινόπτερ' ηὗρε ναυτίλων ὀχήματα. Cnfr Eur. Hipp. 752: ὦ λευκόπτερε πορθμίς. — Elegantissime gratis somniorum visis, ut quae fugacia sint et celeriter abeant, alae tribuuntur. Ag. 426: παραλλάξασα διὰ χερῶν βέβακεν ὄψις οὐ μεθύστερον πτεροῖς ὀπαδοῦσ' ὕπνου κελεύθοις. ὀπαδοῦσ' est conjectura Dobraei pro librorum ὀπαδοῖς, quod si retinetur, hoc adjectivo dativum κελεύθοις regi putandum est. Species in somno oblata alis vias somni sequitur, i. e. celeriter simul cum somno abit. — Ubi sagittae alae vel alatae vocantur, quod saepe apud poetas Graecos fieri videmus [1]), dubitari potest, utrum hoc translato sensu dicatur, quod sagittae celeriter per auram volent, an de veris pennis sit cogitandum, quibus instructas sagittas apud Graecos in usu fuisse satis notum est. Fortasse, id quod saepe fit, in eadem voce propria et metaphorica vis permiscentur. Eum. 181 Apollo declarat, nisi Furiae celeriter ex templo suo discesserint, eas accepturas esse πτηνὸν ἀργηστὴν ὄφιν, sagittam suam significans. — Insolenter πτερόν solum pro sagitta dicitur Sept. 676: φέρ' ὡς τάχος κνημῖδας, αἰχμῆς καὶ πτερῶν προβλήματα, si sic recte legitur ex

[1]) Il. 4, 117 ἰὸν πτερόεντα. 5, 171. 20, 68.

scriptura nonnullorum librorum et scholiastae, qui adscripsit **τοὺς ὀϊστούς.** Qui lectionem Cod. Med. **πετρῶν** tuentur, satis ab Hermanno refutati sunt, qui monet mirum et paene absonum esse scutum dici tutamen adversus ejusmodi telorum genus, quo non de more, sed rarius et casu usi sint. Aliud exemplum est Eur. Hel. 76: **τῷδ' εὐστόχῳ πτερῷ.**

Quum avium proprium sit huc illuc circumvolitare, ut modo ex conspectu abeant, modo rursus compareant, facile intelligitur, quare **ποτᾶσθαι** ad sensus vel cogitationes transferatur, quae animo frequenter obversantur et identidem recurrunt; ut nos translatione non multum dissimili eodem sensu »sväfva, föresväfva» dicimus. Ita de obscura illa et incerta mali futuri praesensione, qua ob Iphigeniam immolatam et vaticinia Calchantis se oppressos sentiunt senes Argivi, Ag. 975: **τίπτε μοι τόδ' ἐμπέδως δεῖμα προστατήριον καρδίας τερασκόπου ποτᾶται.** Similiter Choeph. 390 ancillae, postquam optaverunt, ut sibi contingeret, ut laetum clamorem ob Aegisthum et Clytaemnestram occisos tollerent, exclamant: **τί γὰρ κεύθω φρενὸς οἶον ἔμπας ποτᾶται;** ***nam quid celem quod utique semper animo meo obversatur?***

Tritissima est metaphora, qua ii, quorum animi vehementer, praesertim gaudio, moventur, ***sursum ferri, tolli*** dicuntur; cui cognatum est, quod interdum, quum vehementior aliquis ejusmodi animi motus est indicandus, imago avis ***evolantis*** adhibetur. Ita verbo **ἀναπτεροῦσθαι,** cujus proprius sensus est ***alis instrui*** vel ***alis se levare***, laeta illa exspectatio declaratur, quam in Electra excitant visa vestigia fratris, Choeph. 229: **ἰχνοσκοποῦσά τ' ἐν στίβοισι τοῖς ἐμοῖς σαυτῆς ἀδελφοῦ συμμέτρου τῷ σῷ κάρᾳ, ἀνεπτερώθης κἀδόκεις ὁρᾶν ἐμέ.** Conf. Ai. 693: **περιχαρὴς ἀνεπτάμαν.** Oed. R. 487: **πέτομαι δ' ἐλπίσιν.** Ant. 1307: **ἀνέπταν φόβῳ.** Apoll. Rhod. 3, 784: **ἀνέπτατο χάρματι θυμός.** Simul illa voce, nisi fallor, ut vanum et temerarium denotatur gaudium illud, levibus nulliusque momenti rebus excitatum, quod opponitur dubitationi, quam fratrem ipsum conspiciens ostendit. Levitati animi indicandae imago avis saepe inservit; quod quam frequenter apud tragicos factum sit, exempla, quae Hoppe p. 19 collegit, satis ostendunt. —

Similis translatio in adjectivo *ὑπόπτερος*, quod proprie est *pennis instructus*, inesse videtur. Choeph. 603: *ἴστω ὅστις οὐχ ὑπόπτερος φροντίσιν*. Vulgo interpretes adnotationem in Cod. Med. *ὁ μὴ κοῦφος, ἀλλ' ἀληθῶς μαθεῖν θέλων* secuti id de levitate et inconstantia animi intelligunt. Aliter Weil, qui vertit: *quicunque non tenetur feminarum amore.* Utrum verius sit, difficile est dijudicatu, quum totus locus nondum sit sanatus. — Longiorem expositionem requirit *ὁμόπτερος*, vox difficillima, quae interpretes multum vexavit. Quum multum dubitetur, quomodo haec vox iis tribus locis, ubi apud Aeschylum invenitur, sit explicanda, id tamen pro certo constat eam ab avibus translatam esse et proprie *similes pennas habens* significare. Quum aves, quae pennas vel forma vel colore similes gererent, ejusdem generis vel cognatae haberentur, factum esse credo, ut vox illa vim *cognati* acciperet. Haec vis in duos illorum locorum optime quadrat. Ita Suppl. 224: *ἐν ἁγνῷ δ' ἑσμὸς ὡς πελειάδων ἵζεσθε κίρκων τῶν ὁμοπτέρων φόβῳ* aperte spectatur cognatio, quae filiis Aegypti, quibuscum hic accipitres comparantur, cum Danaidibus erat. Choeph. 174 Electra de cincinno loquens, quem in tumulo patris invenit, dicit: *καὶ μὴν ὅδ' ἐστὶ κάρτ' ἰδεῖν ὁμόπτερος*, cincinnum illum indicans crinibus suis simillimum esse eoque apparere eum a cognato aliquo profectum esse. Neque vero hujus compositi vocabuli posteriorem partem ita esse premendam credo, ut crines ipsi cum pennis comparentur, quam nonnullorum sententiam fuisse video, sed, quod vox illa de avibus usurpata cognatum significaret, factum esse, ut ad alia translata eandem vim servaret. Id tamen iam veteribus ipsis justo audacius translatum visum esse eo fortasse colligere licet, quod Euripides in v. 530 tragoediae suae, quae Electra inscribitur, in eadem re describenda cum aperta irrisione Aeschyli vocabulo *ὁμόπτερος* utitur: *πολλοῖς δ' ἂν εὕροις βοστρύχους ὁμοπτέρους.* — Alia est translationis ratio, quum *ὁμόπτερος* navibus adjicitur, quod Pers. 559 sequ. fit in codicibus et omnibus editionibus praeter Dindorfii; qui quidem versus illos ita mutavit, ut eos paene novos fingeret: *νῦν δὲ κυανώπιδες θοαὶ νᾶες μὲν ἄγαγον, τοτοῖ, νᾶες δ' ἀπώλεσαν, τοτοῖ, ὁμοπτέροισιν ἐμβο-*

λαῖς ἠδ' Ἰαόνων χέρες. Herm., qui proxime ad scripturam codicum accedit, scribit: *πεζούς τ' ἠδὲ καὶ θαλασσίους ὁμόπτεροι κυανώπιδες νᾶες μὲν ἄγαγον, ποποῖ, νᾶες δ' ἀπώλεσαν, τοτοῖ, νᾶες πανωλέθροισιν ἐμβολαῖς, διά-γ' Ἰαόνων χέρας.* Ea respiciens, quae antea de remis navium cum alis comparatis dixi (p. 70), *ὁμόπτεροι* ita explicatum volo, ut »naves ab utraque parte pariter remis, tamquam alis, movendis cursum suum peragentes intelliganturs». Haec verba ab Hermanno mutuor, quamquam ipse aliam interpretationem eamque, ut equidem arbitror, deteriorem praeferre videtur, ex qua *ὁμόπτεροι* idem sit ac *ὁμοίως*, sc. *πεζούς τε καὶ θαλασσίους.* Weil scribit *ὀρσόπτεροι.* — Non constat, quomodo *ἄπτερος* intelligendum sit Ag. 276: *ἀλλ' ἦ σ' ἐπίανέν τις ἄπτερος φάτις;* Olim vulgo Hesychium secuti *ἄπτερος celeribus alis volantem, velocem* interpretabantur, ut *α* vim intensivam haberet; quae explicatio quare recentioribus tantum displicuerit, non intelligo, quum praesertim adverbium *ἀπτέρως* Lycophron v. 627 *celeriter* significet. Herm. rumorem intelligit »*immaturum*, cui nondum fides habenda, comparatione ab avibus petita, quibus nondum ad volatum pennis firmatae sunt alae»; eum plerique, inter eos Weil, sequuntur. Sed duas ob causas haec interpretatio mihi minus placet. Primum sic chorus Clytaemnestram levitatis et credendi temeritatis insimularet, quod ei verecundiae, qua in priore tragoediae parte reginam alloquitur, non consentaneum esset. Deinde antecedentibus repugnat. Nam v. 272 chorus reginam expugnationem Trojae nuntiantem sic interrogat: *ἦ γάρ τι πιστόν ἐστι τῶνδέ σοι τέκμαρ;* Ad quae quum Clytaemnestra rem ita se habere respondit, chorus iterum interrogat: *πότερα δ' ὀνείρων φάσματ' εὐπιθῆ σέβεις;* Quibus effici puto, ut hic non de immaturo et incerto rumore, sed de tali, cui fides sit habenda, agatur. Alii alias protulerunt interpretationes; quarum nulla illi, quam primum attuli, praeferenda videtur. Saepe apud antiquos scriptores de rumore praedicantur vocabula adjectiva, quae celeritatem, qua dissipatur, indicant. Ceterum *ἄπτερος* etiam proprio sensu *non alati* ab Aeschylo usurpatur Eum. 51; 250. Notissima est Homerica formula *τῷ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος,*

ei dictum non avolans fuit, i. e. sedulo mente custoditum. — Quia nives per aëra dense cadentes cum plumis volitantibus quandam similitudinem praebent, dicitur Prom. 993: *λευκοπτέρῳ νιφάδι*, quocum comparari potest Il. 15, 170: *ὡς δ' ὅτ' ἂν ἐκ νεφέων πτῆται νιφάς* et praesertim Herod. 4, 31: *ἔοικε γὰρ ἡ χιὼν (ἁδρὴ πίπτουσα) πτεροῖσι* et ibid. 7: *ὑπὸ πτερῶν κεχυμένων.* — Quum praecipuus quidam amor et cura eorum, quae procreata sunt, avium proprius sit, imagine avium apte illustratur cura atque sollicitudo, quam homo pro homine sustinet. Quis non reminiscitur gratae illius similitudinis, qua Achilles in laboribus suis ante Trojam describendis utitur? Il. 9, 323:

ὡς δ' ὄρνις ἀπτῆσι νεοσσοῖσι προφέρῃσιν
μάστακ', ἐπεί κε λάβῃσι, κακῶς δ' ἄρα οἱ πέλει αὐτῇ,
ὣς καὶ ἐγὼ πολλὰς μὲν ἀύπνους νύκτας ἴαυον etc.

Simili fere modo Aeschylum quaedam avium genera, ut aquilam, columbam, in imaginibus commemorare infra videbimus. Ex eadem observatione avium erga pullos suos amoris profectum est, quod, quum aliquis in tutela esse sive dei sive hominis dicendus est, imago inducitur avis pullos alis tegentis et foventis. Eum. 1002: *Παλλάδος δ' ὑπὸ πτεροῖς ὄντας ἅζεται πατήρ, qui in tutela Minervae sunt, eos pater diligit.* Haec locutio proverbialis fuisse videtur; cfr Eur. Heracl. 10: *τὰ κείνου τέκν' ἔχων ὑπὸ πτεροῖς.* — Postremo simile ex ave ductum invenimus in loco nondum emendato Ag. 1316: *οὔτοι δυσοίζω θάμνον ὡς ὄρνις φόβῳ.* Si adnotationem Hesychii *δυσοίζειν· φοβεῖσθαι, ὑποπτεύειν* huc pertinere et hoc verbum accusativum regere posse statuimus, locum fortasse sic explicare licet: Cassandra domum regiam ingressura se non ut avem timere affirmat, quae circum virgulta, priusquam in ea intret, caute circumspectans volitet metuens, ne hostis in iis lateat. Sed locus probabiliter corruptus est.

§ 6. E singulis avium generibus, quae ab Aeschylo in imaginibus commemorantur, primum de *cycno* dicam. Ex eo semel similitudo sumitur Ag. 1444, ubi de Cassandra: *ἡ δέ τοι κύκνου δίκην τὸν ὕστατον μέλψασα θανάσιμον*

γόον. Respicitur vulgaris illa veterum opinio [1]), cycnos, qui facultate futura praesagiendi praediti essent, praesertim ante mortem canere providentes, quid se maneret. Quare hic Cassandra, quae in *κομμῷ* mortem suam instantem praedixerat, cycni instar carmen ferale cecinisse dici potest.

§ 7. *Gallus* apud veteres vulgo imago ignaviae cum jactantia conjunctae est, praesertim ad eum irridendum, qui domi se effert, foris se ignavum praebet. Ut gallus, alias imbellis, praesentia gallinae et ad canendum et ad animum ostendendum excitatur, ita Aegisthus adstante Clytaemnestra magniloque se gerit Ag. 1671: *κόμπασον θαρσῶν, ἀλέκτωρ ὥστε θηλείας πέλας.* Ita cum contemptu quodam animus vituperatur Aegisthi tantum domi fortis, quod idem alia imagine fit v. 1224: *λέοντ' ἄναλκιν οἰκουρόν* et 1625: *γύννις οἰκουρός.* — Gallorum etiam proprium est semper inter se pugnare; quare gallis similes sunt ii cives, qui domesticas seditiones commovent. Eum. 861:

μήτ' ἐκζέουσ' ὡς καρδίαν ἀλεκτόρων
ἐν τοῖς ἐμοῖς ἀστοῖσιν ἱδρύσῃς Ἄρη
ἐμφύλιόν τε καὶ πρὸς ἀλλήλους θρασύν.

et infra 866: *ἐνοικίου δ' ὄρνιθος οὐ λέγω μάχην.* Cfr Pind. Ol. 12, 14: *ἐνδομάχας ἅτ' ἀλέκτωρ.* — Qui *ὄρνις* appellatur Suppl. 212, gallus aperte est: *καὶ Ζηνὸς ὄρνιν τόνδε νῦν κικλήσκετε.* Gallus Jovis est sol, hoc nomine appellatus, quia, ut gallus, e somno excitat. Sic recte schol. interpretatus est: *τὸν ἥλιον· ἐξανίστησι γὰρ ἡμᾶς, ὡς ὁ ἀλεκτρυών.* Probabile est signum dei solis, quod in scena positum erat, imagine galli ornatum esse. Cfr Paus. 25, 5: *ἡλίου δὲ ἱερόν φασιν εἶναι τὸν ὄρνιθα καὶ ἀγγέλλειν ἀνιέναι μέλλοντος τοῦ ἡλίου.* — Mire Niobe sepulcro liberorum defixa cum gallina ovis insidente comparatur Fr. 158 ex Hesychio sumpt.: *ἐπώζειν· ἐπικαθῆσθαι τοῖς ᾠοῖς. Αἰσχύλος Νιόβῃ μεταφορικῶς »ἐφημένη τάφον τέκνοις ἔπωζε τοῖς τεθνηκόσι.«* Nonnulli interpretes, quibus haec imago poeta nostro parum digna visa est, scripserunt *ἐπῷζε,*

---

[1]) Plato, Phaed. p. 85 B. Aristot. Hist. Anim. 9, 13: *ᾠδικοὶ δὲ καὶ περὶ τὰς τελευτὰς μάλιστα ᾄδουσι.*

lamentabatur, a verbo ἐποίζειν ductum, quocum comparant δυσοίζω Ag. 1316.

§ 8. Cum *corvo* quum comparatio fit, semper odiosum aliquid et taetrum declaratur. Et quum corvus, omnino corporum mortuorum violator, etiam ab aris carnem abripere videatur, ei impii viri, qui ne aras quidem deorum verentur, similes sunt. Suppl. 751: **δυςάγνοις φρεσὶν, κόρακες ὥστε, βωμῶν ἀλέγοντες οὐδέν.** — De Clytaemnestra Ag. 1472: **ἐπὶ δὲ σώματος δίκαν κόρακος ἐχθροῦ σταθεὶς ἐννόμως ὕμνον ὑμνεῖν ἐπεύχεται.** Ut enim corvus in cadavere stans rauca voce clamat, ita Clytaemnestra ad corpus mortuum Agamemnonis carmen laetum canit. — Fortasse translationem de corvo reperimus in verbo **ἐπιρροιζεῖν**, quod de crocitu corvi, quum pluviam et tempestatem nuntiat, proprie dici videtur. Translate ***tristi, rauca voce dicere*** significat, ut de Furiis Eum. 424: **ἦ καὶ τοιαύτας τῷδ' ἐπιρροιζεῖς φυγάς;**

§ 9. ***Hirundinis*** bis apud Homerum mentio fit, Od. 21, 411 ubi sonus arcus cum voce hirundinis comparatur, et Od. 22, 240, ubi Minerva hirundinis instar avolare dicitur. Quia aves, quum fritinnirent, quasi lingua hominibus ignota inter se colloqui videbantur, Graeci eos, qui peregrina lingua vel omnino ita, ut intelligi non possent, loquerentur, cum avibus comparare solebant. Sic hirundo, quae semper fere in volatu fritinnire solet, commemoratur Ag. 1050: **ἀλλ' εἴπερ ἐστὶ μὴ χελιδόνος δίκην ἀγνῶτα φωνὴν βάρβαρον κεκτημένη.** Incertum, utrum ad hunc an ad alium locum spectet schol. ad Arist. Av. 1679: **καὶ Αἰσχύλος τὸ βαρβαρίζειν χελιδονίζειν φησί.** In Ionis fr. 33 ipsi barbari dicuntur **χελιδόνες.** Cfr etiam Herod. 2, 57.

§ 10. Cantus *lusciniae*, vesperi et noctu editus, Graecis dolorem et querelas indicare videbatur, unde fabula illa nota orta est de Procne in lusciniam mutata et semper mortem filii Ityos lugente. Hac de causa luscinia apud Graecos poetas imago paene stabilis est, qua querela et lamentatio depingitur. Ita iam Homerus Od. 19, 518 sequ., ubi tamen imprimis ea tamquam fluctuatio, quae et in modis lusciniae et in animo Penelopes est, in comparationem venit; nam **ἅμα τρωπῶσα** et **δίχα θυμὸς ὀρώρεται ἔνθα**

καὶ ἔνθα sibi respondent. Apud Aeschylum haec reperiuntur exempla. Ag. 1142 de Cassandra, quae de misera sua sorte et morte brevi futura questa est: *ἀμφὶ δ' αὑτᾶς θροεῖς νόμον ἄνομον, οἷά τις ξουθὰ ἀκόρετος βοᾶς, φεῦ, ταλαίναις φρεσὶν Ἴτυν Ἴτυν στένουσ' ἀμφιθαλῆ κακοῖς ἀηδὼν βίον.* — Suppl. 58, Danaides, postquam fugam suam ex patria et insectationem consobrinorum lamentatae sunt, dicunt, si augur adesset, eum cantum flebilem lusciniae audire sibi visum iri:

εἰ δὲ κυρεῖ τις πέλας οἰωνοπόλων
ἐγγάϊος οἶκτον ἀΐων,
δοξάσει τις ἀκούειν ὄπα τᾶς Τηρείας
μήτιδος οἰκτρᾶς ἀλόχου,
κιρκηλάτας ἀηδόνος,
ἅτ' ἀπὸ χώρων ποταμῶν τ' ἐργομένα
πενθεῖ νέον οἶκτον ἠθέων.
ξυντίθησι δὲ παιδὸς μόρον, ὡς αὐτοφόνως
ὤλετο πρὸς χειρὸς ἕθεν
δυσμάτορος κότου τυχών·
τὼς καὶ ἐγὼ φιλόδυρτος Ἰαονίοισι νόμοισι
δάπτω τὰν ἁπαλὰν παρειάν κτἑ.

Utroque in loco cum luscinia ob luctum et dolorem, quem cantus ejus prodit, comparationem fieri patet. Ceterum vide infra, ubi fusius hos locos explicabimus. Aliud exemplum est Fr. 420: *θρηνεῖ δὲ γόον τὸν ἀηδόνιον.* Inter exempla ejusdem imaginis, quae multa ceteri tragici exhibent, satis est afferre Soph. El. 107.

§ 11. Bis Aeschylus filios Aegypti Danaides persequentes cum *accipitribus (κίρκοις)*, qui *columbas* agitant, confert. Neque haec imago suum apud Homerum exemplar non habet, cujus ad similitudinem expressa sit; vide Il. 17, 755 et praesertim 22, 139, ubi Achilles ita in Hectorem incurrere dicitur, ut accipiter in columbam; qui maxime locus Aeschylo obversatus esse videtur, quamquam ibi tertium comparationis nihil nisi celeritas est, Aeschylus autem appellatione accipitrum filios Aegypti importunos et crudeles describit, comparatione columbarum infirmitatem virginum, quae se ipsae tueri non possunt, indicat. Prom. 856: *οἱ*

δ' ἐπτοημένοι φρένας, κίρκοι πελειῶν οὐ μακρὰν λελειμμένοι, ἥξουσι θηρεύοντες οὐ θηρασίμους γάμους. Suppl. 223:

ἐν ἁγνῷ δ' ἑσμὸς ὡς πελειάδων
ἵζεσθε κίρκων τῶν ὁμοπτέρων φόβῳ
ἐχθρῶν ὁμαίμων καὶ μιαινόντων γένος.
ὄρνιθος ὄρνις πῶς ἂν ἁγνεύοι φαγών;
πῶς δ' ἂν γαμῶν ἄκουσαν ἄκοντος πατρὸς
ἁγνὸς γένοιτ' ἄν;

Aegyptiadae significantur etiam, quum Danaides se cum luscinia ab accipitre agitata comparant Suppl. 62: *κιρκηλάτας ἀηδόνος.* Columba commemoratur etiam Sept. 294; vide p. 65.

§ 12. Cum *aquila*, nobilissima et fortissima avium, quae Jovis ministra et satelles habebatur, reges comparantur. Etiam in auguriis aquilae visae reges significare solebant, ut Ag. 112 sequ. Atridas, Pers. 205 Xerxen. Choeph. 247:

ἰδοῦ δὲ γένναν εὖνιν ἀετοῦ πατρός,
θανόντος ἐν πλεκταῖσι καὶ σπειράμασιν
δεινῆς ἐχίδνης. τοὺς δ' ἀπωρφανισμένους
νῆστις πιέζει λιμός· οὐ γὰρ ἐντελὴς
θήραν πατρῴαν προσφέρειν σκηνήμασιν.
οὕτω δὲ κἀμὲ τήνδε τ', Ἠλέκτραν λέγω,
ἰδεῖν πάρεστί σοι, πατροστερῆ γόνον.

Aquila, cujus pulli Orestes et Electra dicuntur, est Agamemno, atrox vipera, cujus in spiris illa mortua est, Clytaemnestra. Quum haec similitudo ante mentem poetae versetur, paulo infra v. 256 liberos Agamemnonis appellat *πατρὸς νεοσσούς* (*νεοσσός* enim proprie de pullis bestiarum, maxime avium, dicebatur) et v. 258 novam inducit similitudinem, et ipsam ab aquila sumptam:

οὔτ' ἀετοῦ γένεθλ' ἀποφθείρας πάλιν
πέμπειν ἔχοις ἂν σήματ' εὐπιθῆ βροτοῖς,
οὔτ' ἀρχικός σοι πᾶς ὅδ' αὐανθεὶς πυθμὴν
βωμοῖς ἀρήξει βουθύτοις ἐν ἤμασιν.

Quemadmodum, si aquilae genus delevisses, non iam fida auguria haberes, quae hominibus mittere posses, ita

regia haec stirps, si exstincta erit, non iam festis diebus aris tuis imponet honorem. — Aquilam commemoratam reperimus in proverbio Libyco, quod schol. ad Arist. Av. 808 ex Aeschyli Myrmidonibus affert, Fr. 129:

ὧδ' ἐστὶ μύθων τῶν Λιβυστικῶν κλέος,
πληγέντ' ἀτράκτῳ τοξικῷ τὸν ἀετὸν
εἰπεῖν ἰδόντα μηχανὴν πτερώματος,
τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὑτῶν πτεροῖς
ἁλισκόμεσθα.

Aquila sagitta pennata percussa dicit se non ab aliis, sed suis ipsius pennis captam esse. Patet hoc allegorice accipiendum esse, ut ii designentur, qui non ab aliis, sed sua ipsorum culpa aliquid passi sint. Quod sic explicat idem schol.: *καὶ ἡμεῖς οὖν οὐχ ὑπ' ἄλλων πάσχομεν ταῦτα, ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν γνώμῃ.*

§ 13. A *vulturibus* una similitudo petitur Ag. 48:

μέγαν ἐκ θυμοῦ κλάζοντες Ἄρη
τρόπον αἰγυπιῶν,
οἵτ' ἐκπατίοις ἄλγεσι παίδων
ὕπατοι λεχέων στροφοδινοῦνται
πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι,
δεμνιοτήρη
πόνον ὀρταλίχων ὀλέσαντες.
ὕπατος δ' ἀΐων ἤ τις Ἀπόλλων
ἢ Πὰν ἢ Ζεὺς οἰωνόθροον
γόον ὀξυβόαν τῶνδε μετοίκων
ὑστερόποινον
πέμπει παραβᾶσιν Ἐρινύν.
οὕτω δ' Ἀρέως παῖδας ὁ κρείσσων
ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ πέμπει ξένιος
Ζεύς.

Clamor bellicus Atridarum confertur cum clamore, quem vultures edunt ab agrestibus pullis orbati. Hanc similitudinem dum explicat, ad aliud tertium comparationis progreditur poeta: ut deorum aliquis raptoribus avium ultricem Erinyn mittit, ita Jupiter hospitalis filios Atrei ad Paridem

puniendum mittit. Sine dubio imitatione expressit Hom. Od. 16, 216:

κλαῖον δὲ λιγέως, ἀδινώτερον ἤ τ' οἰωνοί,
φῆναι ἢ αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες, οἷσί τε τέκνα
ἀγρόται ἐξείλοντο πάρος πετεηνὰ γενέσθαι.

§ 14. Transeamus nunc ad imagines ab iis bestiis, quae *mammalia* vocantur, sumptas.

Perseus cum *apro* comparatur Fr. 252: *ἔδυ δ' ἐς ἄντρον ἀσχέδωρος ὥς. ἀσχέδωρος* Siculum vocabulum est; talia Aeschylum, qui diu in Sicilia versatus erat, saepe usurpasse auctor est Athenaeus 9, p. 402: *ὅτι δὲ Αἰσχύλος διατρίψας ἐν Σικελίᾳ πολλαῖς κέχρηται φωναῖς Σικελιαῖς οὐδὲν θαυμαστόν.*

§ 15. *Lepus* in imaginibus et timiditatem et infirmitatem ejus, qui se ipse ab hostibus defendere non possit itaque facile necetur, significare solet. Quare proverbialiter *βίον λαγὼ ζῆν* de iis dicebatur, qui miseram vitam in perpetuo mortis periculo degebant; vide Dem. 18, 263. Cfr etiam Il. 10, 361; 22, 310; 17, 676, quibus in locis ita inducitur lepus, ut eum aliud animal persequatur. Eodem modo infirmitatis imago est Eum. 26: *λαγὼ δίκην Πενθεῖ καταρράψας μόρον.* Bacchus Pentheo ita mortem attulit, ut lepori (sc. venator), i. e. ita, ut ille non magis quam lepus resistere posset; quo potestas dei, adversus quam vires hominis prorsus nihil valent, significatur. — *πτώξ*, proprie *fugitivus*, vulgo nomen leporis est; vide Il. 17, 676. Ad Orestem transfertur Eum. 325, ubi Furiae dicunt: *ὁ Λατοῦς γὰρ ἶνίς μ' ἄτιμον τίθησιν τόνδ' ἀφαιρούμενος πτῶκα.* Supra animadverti per totam hanc tragoediam de Furiis Orestem agitantibus ita dici, tamquam de canibus venaticis, qui feram persequuntur.

§ 16. *Caprae* semel fit mentio Ag. 232: *φράσεν δ' ἀόζοις πατὴρ μετ' εὐχὰν δίκαν χιμαίρας ὕπερθε βωμοῦ — προνωπῆ λαβεῖν ἀέρδην.* Similitudo in eo posita est, quod ministri Iphigeniam supra aram tollere jubentur, ut prona sit; quod in hostiis immolandis fieri solitum esse docet Od. 3, 453. Simul in hac puellae cum hostia comparatione ea

inest vis, ut et indignationem chori declaret et misericordiam spectantium commoveat.

§ 17. Cum *bobus* homines saepe apud poetas Graecos comparantur; quod tantum aberat, ut Graecis offensioni esset et de dignitate hominis detrahere videretur, ut de regibus maxime et ducibus exercituum tales imagines adhiberent. Ita Homerus de Agamemnone Il. 2, 480:

ἠΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων
ταῦρος· ὁ γάρ τε βόεσσι μεταπρέπει ἀγρομένῃσι

et saepe alias. Nam eas imagines, quibus homines cum ignobilibus bestiis comparentur, nostrae quidem aetatis hominibus indecoras videri, veteribus autem ob majorem eorum simplicitatem vel maxime placuisse supra ostendi. Etiam id reputandum est, quanto in honore res pecuaria et agricultura et omnia, quae ad eas pertinent, semper apud Graecos fuerint. Ab Homero saepe reges pecus pascentes inducuntur [1]). Etiam recentioribus temporibus, quum omnia artificia, quae manu et corpore gerebantur, viro ingenuo et bono cive indigna haberentur, pecuariam et agriculturam excipere solebant [2]). — Hujus generis imagines Aeschylus habet non paucas. Ag. 1125 Cassandra in *κομμῷ* illo suo, in quo furore quodam capta vaticinia tecte et per ambages fundit, Clytaemnestram maritum occidere parantem tamquam praesentem aspiciens exclamat: **ἆ ἆ ἰδοὺ ἰδού· ἄπεχε τᾶς βοὸς τὸν ταῦρον· ἐν πέπλοισιν μελαγκέρῳ λαβοῦσα μηχανήματι τύπτει.** Quin *τᾶς βοός* ad Clytaemnestram spectet, *τὸν ταῦρον* ad Agamemnonem, mihi quidem dubium non est. Nam quamquam hoc a vulgari usu verbi *ἀπέχειν* discrepat, qui postulare videtur, ut is, qui aggreditur, ab eo, quem aggreditur, *ἀπέχεσθαι*, *arceri* jubeatur, tamen mihi persuadere non possum Aeschylum Agamemnonem vaccam, Clytaemnestram taurum appellasse, quam sententiam nonnullis interpretibus placuisse miror. Etiam **λαβοῦσα,** quod mox sequitur, et ad Clytaemnestram et ad vaccam refertur. Reginam igitur conjugi suo necem parantem cum vacca, quae cum tauro cornibus luctatur,

[1]) Il. 5, 313. 6, 424. 11, 106. 20, 188.
[2]) Xenoph. Oecon. c. 4, 2, 8; 6, 5.

comparat, »quia taurus et vacca amoris stimulis excitati cornibus se per lusum petere solent» (Herm.). Majores etiam difficultates epitheton *μελαγκέρῳ* interpretibus fecit. De eo Herm. sic disputat: »quoniam tauri et vaccae appellatione usa erat, transfert cornua ad id, de quo proprie dici non potuerunt, non tamen ut solam vestem, sed ut universum occidendi modum designet: quare *μηχανήματι* dicit, quasi nigris cornibus, sic ictibus ferri peti illum indicans». Sed *μηχάνημα* nigris cornibus instructum vereor ne obscurius et insolentius dictum sit, quam ut etiam in hoc *κομμῷ*, qui ab audacibus metaphoris minime abhorret, ferri possit. Quare, nisi lubricis et a codicum scriptura longe recedentibus conjecturis indulgendum est, nihil nobis restat, nisi ut aut cum Wellauero scribamus *μελαγκέρων*, quod ad taurum refertur, aut cum Weilio *μελαγκέρως*; quae lectio nescio an eo commendetur, quod aptius videtur cornua ejus, qui petit, quam ejus, qui petitur, commemorari. Simul sic in *μελαγκέρως* inest significatio quaedam consilii tamquam atri Clytaemnestrae et ejus crudelitatis animi. —. Epaphus, quia ex Ione in vaccam mutata natus erat, vitulus vocatur, quamquam ipse figuram humanam habebat. Suppl. 42: *νῦν δ᾽ ἐπικεκλομένα Δῖον πόρτιν*. 313: *τίς οὖν ὁ Δῖος πόρτις εὔχεται βοός;*

Suppl. 349 Danaides se cum juvenca comparant a lupo acta, quae in saxis praeruptis auxilium sperans mugit, ut pastori labores suos nuntiet:

ἴδε με τὰν ἱκέτιν φυγάδα περίδρομον,
λυκοδίωκτον ὡς δάμαλιν ἂμ πέτραις
ἠλιβάτοις, ἵν᾽ ἀλκᾷ πίσυνος μέμυκε
φράζουσα βοτῆρι μόχθους.

Ag. 1298 chorus Cassandram, quum domum regiam, ubi mortem se exspectare persuasum habet, ingressura est, ita interrogat: *πῶς θεηλάτου βοὸς δίκην πρὸς βωμὸν εὐτόλμως πατεῖς;* Vaccae ad immolationem destinatae similis est, quae non vi neque reluctans protrahitur, sed voluntarie ad aram procedit; quod felici omine et diis ipsis auctoribus fieri putabatur; inde *θεήλατος*.

Murmurare tauri instar recens caesi dicitur Fr. 433: *ἐτονθόρυζε ταῦρος ὡς νεοσφαγής.* — *μυκάομαι,* vocabulum de mugitu boum proprium, ad tonitrum transfertur Prom. 1062: *βροντῆς μύκημ᾽ ἀτέραμνον.* 1082: *βρυχία δ᾽ ἠχὼ παραμυκᾶται βροντῆς.* — Sonus cantus et fidium redditus taurina voce mugire dicitur, i. e. rauco murmure sonare Fr. 55: *ψαλμὸς δ᾽ ἀλαλάζει· ταυρόφθογγοι δ᾽ ὑπομυκῶνται ποθὲν ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μῖμοι.*

Ag. 244 de Iphigenia: *ἁγνᾷ δ᾽ ἀταύρωτος αὐδᾷ πατρὸς φίλου τριτόσπονδον εὔποτμον παιᾶνα φίλως ἐτίμα.* Plerique scholiastam secuti, qui *ἀταύρωτος* exponit *ἄζευκτος, παρθενική,* hoc adjectivum ita explicant, ut proprie dicatur de vacca, quam taurus non tetigerit, hic ad Iphigeniam tralatum *castam virginem* significet. Hanc interpretationem impugnat Herm., hic nihil attinere contendens Iphigeniam incorruptam virginem vocari. Ipse vertit: *non efferata,* non indignata, quod immoletur; illa enim verba non, ut alii interpretes, ad tempus, quum domi patris versabatur, sed ad ipsum immolationis tempus refert; pro *παιᾶνα,* quae est conjectura, librorum *αἰῶνα* retinet. Quam significationem ut confirmet, duos locos ex Eurip. affert, in quibus verbum *ταυροῦσθαι* de iis, qui saevo vultu aliquid tuentur, ponitur imagine ab oculis torvis tauri sumpta, qui iram et saevitiam prodere videntur, Med. 92 et 188. Cnfr etiam Arist. Ran. 804: *ταυρηδὸν βλέπειν.* Utrum verius sit, difficile est dijudicatu; fortasse hic Iphigenia ob eam causam incorrupta virgo vocatur, quod preces eorum, qui casti sanctique essent, diis magis acceptae putabantur. — Similem vim atque in illis locis Euripideis habet *ταυροῦσθαι* Choeph. 275: *ἀποχρημάτοισι ζημίαις ταυρούμενον,* *bonorum jactura iratum.*

§ 18. Quod ad imagines a bobus petitas animadverti, eas apud poetas Graecos frequentissimas esse et maxime ad homines illustrandos adhiberi, id non minus in *equorum* imagines cadit; in quo nihil est quod miremur, quum multis ex rebus notum sit, quantum delectationis quum omnes Graeci tum praesertim Athenienses equis et arte equitandi exercenda ceperint. In antiquis Atheniensium fabulis proditum est equum, quum urbs conderetur, a Neptuno iis dono datum esse;

postea divites saepe magno sumptu equos pulchros alere solebant, quare Aeschylus Prom. 466 eos vocat *ἄγαλμα τῆς ὑπερπλούτου χλιδῆς*. Vide Ar. Nub. init. et Xenoph. de arte equit. Attamen imagines ab equis petitae apud ceteros tragicos frequentiores sunt quam apud Aeschylum.

Adolescentes *πῶλοι, pulli equini*, vocantur. Ita Orestes in loco valde obscuro Choeph. 794: *ἴσθι δ' ἀνδρὸς φίλου πῶλον εὖνιν ζυγέντ' ἐν ἅρμασιν πημάτων, ἐν δρόμῳ προςτιθεὶς μέτρον. τίς ἂν σωζόμενον ῥυθμὸν τοῦτ' ἰδεῖν δάπεδον ἀνομένων βημάτων ὄρεγμα;* Herm. *ἴσθι* in *ἴσχε, τίς ἂν* in *τίν' αὖ, δάπεδον* in *γάπεδον* mutatis et commate post *μέτρον* posito sententiam loci sic exponit: »sustine cari viri pullum junctum currui malorum, modum adhibens in cursu, ut hoc solum rursus videat desinentium gressuum nisum aliquam servare mensuram«. Sed Aeschylum tam obscure et perplexe dixisse mihi persuadere non possum. Id tamen pro certo habere licet eam translationem, quae a vocabulo *πῶλος* inciperet, per totam stropham continuatam esse ita, ut Orestes malis conjunctus dicatur, tamquam equus currui. Ad eandem metaphoram pertinet *δρόμῳ*. Vide schol.: *ἐνέμεινε τῇ μεταφορᾷ· φήσας γὰρ ἐν ἅρμασι πημάτων τὸ δρόμῳ ἐπήγαγε.* — Quum *πῶλος*, ut *δάμαλις, μόσχος* alia, etiam de virgine diceretur (vide Eur. Hec. 144), factum est, ut *πωλικός* eandem vim atque *παρθενικός* acciperet. Sept. 455: *πωλικῶν θ' ἑδωλίων ὑπερκόπῳ δορί ποτ' ἐκλαπάξαι.* — Prom. 1009 pulcherrime Mercurius Prometheum reluctantem et imperio Jovis obsequi recusantem cum equo recens domito comparat, qui frenum mordens violenter se gerat neque habenis obedire velit: *δακὼν δὲ στόμιον ὡς νεοζυγὴς πῶλος βιάζει καὶ πρὸς ἡνίας μάχει.* — Nobilissima est imago Sept. 392, ubi bellicus ardor Tydei, quem Amphiaraus a pugna retinet, describitur similitudine ferociae equi bellatoris, quum tubam audit. Quum hoc loco codices aperte corruptam lectionem praebeant, multae diversae emendationes ab editoribus prolatae sunt, quarum satis habebo nonnullas afferre. Dind. scribit:

βοᾷ παρ' ὄχθαις ποταμίαις, μάχης ἐρῶν,
ἵππος χαλινῶν ὣς κατασθμαίνων μένει,
ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὁρμαίνει κλύων.

κλύων est conjectura pro codicum *μένων*. Apparet *μένει* dativum substantivi *μένος* esse et *χαλινῶν μένει* eodem sensu dici, quo Ag. 239 *χαλινῶν ἀναύδῳ μένει*. Ergo Tydeus, pugnandi avidus, cum equo confertur vi habenarum anhelante, qui, quum sonitum tubae audit, morae impatiens sit et abire cupiat. Hermanni scriptura ita a Dindorfii differt, ut *δ'* ante *ὥς* inserat, *βρέμει* pro *μένει*, *ὀργαίνει* pro *ὁρμαίνει* scribat, *μένων* retineat: Tydeus fremit ut equus adversus frena saeviens, qui sonitum tubae exspectans irascitur. Weil ultimum versum ita legit: *ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὀρθίαν κλύει*, cetera ut Dind. Schol. Med. adscripsit: *οὕτως ἀσθμαίνει καὶ σπεύδει ὥς καὶ ἵππος πολεμιστὴς σάλπιγγος ἀκούων καὶ ἐπιθυμῶν πολέμου εἴργεται πρὸς τοῦ ἐπιβάτου*. Fortitudo et alacritas equi saepe ab antiquis poetis in imaginibus commemoratur, cujus rei illustrissimum exemplum praebent hi versus Sophoclis El. 25:

ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενής, κἂν ᾖ γέρων,
ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν,
ἀλλ' ὀρθὸν οὖς ἵστησιν, ὡσαύτως δὲ σὺ
ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις καὐτὸς ἐν πρώτοις ἕπει.

Bis *σειραφόρος* transfertur. Sic vocabatur equus funalis, i. e. equus, qui non jugum ferens, ut *ἵπποι ζύγιοι*, sed ad latus horum fune junctus currum ducebat. Quia hic equos *ζυγίους* in curru ducendo adjuvabat, translate *socium, adjutorem* significare poterat. Sic Ag. 842: *μόνος δ' Ὀδυσσεύς, ὅσπερ οὐχ ἑκὼν ἔπλει, ζευχθεὶς ἕτοιμος ἦν ἐμοὶ σειραφόρος*. Sententia haec est: Ulixes semel currui junctus mihi paratus equus funalis erat, i. e. semel expeditionis particeps factus mihi fidelis socius erat. Infra videbimus homines proxima societate conjunctos, ut conjuges, geminos fratres, imagine jumentorum idem jugum ferentium illustrari; cui imagini consentaneum est, quod *σειραφόρος* is appellatur, qui alicui, quamquam non arctissimo vinculo cum eo conjunctus est, tamen in aliqua re operam praestat, ut hic Ulixes Agamemnoni. — Alio sensu *σειραφόρος* transfertur Ag. 1640, ubi Aegisthus choro vehementer in se invehenti ita minatur, eum cum jumento com-

parans: *τὸν δὲ μὴ πειθάνορα ζεύξω βαρείαις οὔτι μοι σειραφόρον κριθῶντα πῶλον.* Vis translationis in eo posita est, quod equi funales in curru ducendo multo minorem laborem sustinebant quam ii, qui sub jugo erant. Ad *βαρείαις* supplendum est *ζεύγλαις*; *κριθᾶν* de equis dicebatur, qui hordeo nimis bene pasti superbirent et lascivirent; *οὔτι μοι σειραφόρον* etc. proleptice addita sunt. Haec igitur est sententia: ei, qui non obediverit, grave jugum imponam, ne sit equus funalis, qui jugi expers et nimis bene pastus superbiat. Quae imago quo spectet, non opus est pluribus exponere.

Quum equi juba duci soleant, feminae captae urbis, quae ab hostibus crinibus abstrahuntur, *ἱππηδόν, equi instar*, trahi dici possunt. Sept. 328: *τὰς δὲ κεχειρωμένας ἄγεσθαι, ἐή, νέας τε καὶ παλαιὰς ἱππηδὸν πλοκάμων.* — Eadem de causa supplices se dicunt equi instar redimiculis frontis a signis deorum abstrahi. Suppl. 431: *μή τι τλῇς τὰν ἱκέτιν εἰσιδεῖν ἀπὸ βρετέων βίᾳ δίκας ἀγομέναν ἱππηδὸν ἀμπύκων πολυμίτων.* — *καθιππάζεσθαι* in equitantibus proprium est, qui aliquem prosternunt et proculcant; translate sensu *opprimendi*, *vincendi* adjuncta superbiae et contumeliae significatione tribus locis Eumenidum usurpatur, in omnibus a Furiis de juribus suis ab Apolline et Minerva conculcatis. 150: *νέος δὲ γραίας δαίμονας καθιππάσω.* 731: *ἐπεὶ καθιππάζει με πρεσβῦτιν νέος.* 779: *θεοὶ νεώτεροι, παλαιοὺς νόμους καθιππάσασθε.* — Non dissimile est, quod *ἀπολακτίζειν* ab equis recalcitrantibus ad vim *ignominiose repudiandi* transfertur Prom. 651: *μἀπολακτίσῃς λέχος τὸ Ζηνός,* ad quem locum schol. *ὡς ἀπὸ τῶν ἀλόγων ζῴων* adscripsit. — Idem verbum de somno excutiendo usurpatur Eum. 141: *ἀνίστω κἀπολακτίσασ' ὕπνον ἰδώμεθ'.* Vide etiam Suppl. 937: *ἀλλὰ πολλὰ γίγνεται πάρος πεσήματ' ἀνδρῶν κἀπολακτισμοὶ βίων,* ubi *ἀπολακτισμοὶ βίων* sunt *vitae abjectiones*, i. e. mortes subitae et vi allatae. — De Choeph. 1021 infra inter imagines a ludis petitas dicemus.

Magnus est apud Aeschylum earum imaginum numerus, quae a *jugo*, *freno*, *stimulo*, aliis rebus, quae ad currus vehendos et jumenta agenda pertinent, depromptae sunt. Quae, quamquam etiam alia jumenta, ut boves, mulos, attingunt,

hic tamen optime locum habere videntur, quum poetam in iis praesertim de equis cogitasse probabile sit. Nonnullas earum, in quibus equi nominati sunt, iam supra attuli. Ut igitur a *jugo* ordiar, frequens hujus imaginis usus est de iis, qui arctissima societate aliqua vel amicitiae vel amoris vel alius generis inter se conjuncti sunt. Ita Ag. 44 Atridae, et quia communi imperio terram regunt et ob concordiam, *ζεῦγος Ἀτρειδᾶιν*, *biga*, vocantur; quod idem verbis antecedentibus, quae ex *ζεῦγος* pendent, *διθρόνου καὶ δισκήπτρου τιμῆς*, significatur. Intima conjunctio significatur etiam Fr. 311 a: *ὅπου γὰρ ἰσχὺς συζυγοῦσι καὶ δίκη, ποία ξυνωρὶς τῆσδε καρτερωτέρα;* — Ut Latini conjugium dicebant, ita etiam Graeci *matrimonium* imagine a jugo ducta illustrare solebant. In qua imagine vix opus est monere nullam oneris et molestiae significationem inesse, quod fieret, si nos eam ad eandem rem adhiberemus, sed nihil aliud quam id amoris et communitatis vinculum, quo maritus et uxor conjuncti esse debent, declarari; quod quam apte cum jugo, quo duo jumenta colligantur et ad communitatem laboris rediguntur, comparetur, nemo est, quin sentiat. Ita Choeph. 599 in loco perobscuro *συζύγους ὁμαυλίας* matrimonia videntur significare. Etiam solum vocabulum *σύζυγος* ab Euripide sensu conjugis usurpatur Alc. 314, 342. Pers. 139 *μονόζυξ* de uxore a marito relicta dicitur »metaphora ducta ab equis eidem jugo adsuetis iamque inter se disjunctis» Schütz. Pers. 541: *αἱ δ᾽ ἁβρόγοοι Περσίδες ἀνδρῶν ποθέουσαι ἰδεῖν ἀρτιζυγίαν. ἀρτιζυγία* est *nuptiae nuper factae; ἀνδρῶν ἀρτιζυγίαν* pro *ἄνδρας ἀρτιζύγους* dictum est constructione apud poetas Graecos non insolita, qua substantivum abstractum, quod vocatur, cum genetivo conjungitur, ubi nos pro genetivo substantivum regens, pro substantivo regenti adjectivum exspectamus; cnfr Homerica *Αἰνείαο βία, μένος Ἀλκινόοιο, ἕρκος ὀδόντων*. — Frequentius etiam imago jugi ita adhibetur, ut omnino ea, quae molesta sint, cogant, necessitatem alicui imponant, declaret. Pervulgatum est *jugum servitutis*. Pers. 50: *στεῦται δ᾽ ἱεροῦ Τμώλου πελάται ζυγὸν ἀμφιβαλεῖν δούλιον Ἑλλάδι*. Ag. 953: *ἑκὼν γὰρ οὐδεὶς δουλίῳ χρῆται ζυγῷ*. Ag. 1226: *φέρειν γὰρ χρὴ τὸ δούλιον*

ζυγόν. Sept. 75: *ἐλευθέραν δὲ γῆν τε καὶ Κάδμου πόλιν ζυγοῖσι δουλίοισι μήποτε σχεθεῖν.* Sept. 471: *τὸν φερέγγυον πόλεως ἀπείργειν τῆσδε δούλιον ζυγόν.* Sept. 793: *πόλις πέφευγεν ἥδε δούλιον ζυγόν.* Similiter Pers. 594: *λέλυται γὰρ λαὸς ἐλεύθερα βάζειν ὡς ἐλύθη ζυγὸν ἀλκᾶς.* Regium imperium est tamquam jugum populis Asiae impositum, quod iam iis demptum esse dicitur. — Verbum *ζυγοῦν* ab Aeschylo significatione *domandi* usurpatum esse testatur Hesychius (Fr. 113): *ζυγώσω: δαμάσω, κλείσω, καθέξω. Αἰσχύλος Κίρκῃ σατυρικῇ.* — Pons ille navalis a Xerxe in Hellesponto factus, ut quo mare tamquam domuerit et sibi parere coëgerit, jugum collo maris impositum vocatur Pers. 71: *πολύγομφον ὅδισμα ζυγὸν ἀμφιβαλὼν αὐχένι πόντου.* — Qui necessitate cogitur, jugum accepisse dicitur. Ag. 218 de Agamemnone filiam immolare statuente: *ἐπεὶ δ᾽ ἀνάγκας ἔδυ λέπαδνον. λέπαδνον,* quod erat lorum, quo jugum ad colla jumentorum alligabatur, hic per synecdochen pro toto jugo positum est. Quum hic Agamemno necessitatis jugum accepisse dicitur, omnes tragicae artis periti agnoscunt non esse naturalem quandam et absolutam necessitatem intelligendam, sed eam, quam sibi ipse imposuerit, quum a bello desistere nollet; illud enim totum consilium tragoediae perverteret, quod in hoc ipso consistit, ut Agamemno filia immolanda culpam contrahat. Cfr Eur. Or. 1330: *ἀνάγκης εἰς ζυγὸν καθέσταμεν.* — Etiam is, qui malis vel doloribus opprimitur, jugum sibi impositum habet. Templorum et altarium eversio, populatio segetis, cetera mala, quae captae urbi accidere solent, respiciuntur, quum Agamemno Trojae jugum imposuisse dicitur Ag. 529: *τοιόνδε Τροίᾳ περιβαλὼν ζευκτήριον.* — Verbum *ἐνζευγνύναι,* proprie *jumentum in jugum illigare,* translate de eo ponitur, qui aliquem magnis laboribus afficit, ut tamquam jumentum grave onus trahat. Prometheus de malis sibi a Jove allatis Prom. 579: *μὲ ταῖσδ᾽ ἐνέζευξας ἐν πημοσύναις.* 108: *ἀνάγκαις δὲ ταῖσδ᾽ ἐνέζευγμαι τάλας.* Vide locos supra allatos Ag. 1640: *ζεύξω βαρείαις* (sc. *ζεύγλαις*). Choeph. 794: *ζυγέντ᾽ ἐν ἅρμασιν πημάτων.* Ag. 842: *Ὀδυσσεὺς — ζευχθεὶς ἕτοιμος ἦν ἐμοὶ σειραφόρος.* Prom. 1009: *ὡς νεοζυγὴς πῶλος βιάζει.*

Quibus ex locis elucet. quantum haec imago Aeschylum delectaverit, quum aliquid molestum declarare vellet.

Iam commemorandi sunt aliquot loci, in quibus imago a jungendis equis sumpta ita adhibetur, ut neque intima societas neque molestia, sed alia ratio spectetur. Choeph. 1044 chorus Oresti, qui modo dixerat sibi propter interfectam matrem necesse esse patria exsulare: *μηδ' ἐπιζευχθῇς στόμα φήμῃ πονηρᾷ,* ne ad os tuum male ominata verba, tamquam ad currum equus, alligentur, i. e. ne talia verba in ore habueris. — Vulgo translata vis huic verbo attribuitur Eum. 405, ubi Minerva in scenam per aëra vecta ita loquitur:

> *ἔνθεν διώκουσ' ἦλθον ἄτρυτον πόδα,*
> *πτερῶν ἄτερ ῥοιβδοῦσα κόλπον αἰγίδος,*
> *πώλοις ἀκμαίοις τόνδ' ἐπιζεύξασ' ὄχον.*

Schol., qui ad v. 397 adscripsit *ἐπὶ ὀχήματος ὀχεῖται,* ultimum versum proprio sensu intelligens adductus est, ut Minervam curru aërio in scenam invectam esse fingeret; quam sententiam O. Müller recepit et argumentis firmare conatus est. Sed obstat primum, quod ex 398 apparet deam per aëra vectam esse, ex *τόνδε* v. 405 currum illum in scena conspicuum fuisse; sed vix credi potest apud Graecos, qui machinas scenicas non ad eam, quae nunc est, perfectionem adduxerant, equos et currum sublimes introductos et in solum demissos esse; quo accedit, quod non intelligitur, quare Minerva duplici movendi vi, et aegide et curru, utatur, quum una sufficere videatur. Deinde verba *διώκουσα ἄτρυτον πόδα,* quae gradum accelerare significant, in eum, qui curru vehitur, minime quadrant. Quare Herm. alii ex emendatione Wakefieldii *κώλοις* pro *πώλοις* scribunt: »membris juvenilibus hoc vehiculo (sc. aegide) addito«; contra quam interpretationem Weil recte mihi videtur dicere *ὄχον ἐπιζεῦξαι* habere significatum usu consecratum, a quo discedere non licuerit poetae, qui quidem a spectatoribus intelligi vellet; ipse scribit *πνόοις ἀκμαίοις οὐδ' ἐπιζεύξασ' ὄχον.* Fortasse codicum *πώλοις* retineri potest, modo non veros equos neque verum currum intelligas, sed translate accipias. *ὄχος* spectat ad nubes, per quas Minerva incedit

quibusque ex parte tecta supra scenam conspicitur, ut tamquam in curru stare videatur; ad hunc currum *πῶλοι ἀκμαῖοι* juncti sunt, quia motum aegide vibranda incitat. Vim igitur ipsam, qua movetur ille tamquam currus, equorum mentio hic designat; translatio audacissima ea quidem, sed non talis, ut ab Aeschyli ingenio aliena videatur [1]). — Verbo *ἐπιζευγνύναι* contrarium est *ἀποζευγνύναι, equos jugo solvere, disjungere;* quod transfertur Choeph. 676: *στείχοντα δ' αὐτόφορτον οἰκείᾳ σαγῇ εἰς Ἄργος, ὥσπερ δεῦρ' ἀπεζύγην πόδας.* Ex ea significatione, quam primariam esse diximus, efficitur *ἀποζεύγνυσθαι πόδας* nihil aliud esse quam *pedes ab itinere solvere,* i. e. itinere peracto ire desinere. Ita schol.: *τῆς ὁδοιπορίας ἀπέλυσα ἐπὶ τῷ ξενισθῆναι παρ' ὑμῖν. ἐκ μεταφορᾶς τῶν ἀπολυομένων τοῦ ζυγοῦ ἵππων καὶ ἐπὶ φάτνην ὁρμώντων.* Comparari potest Eum. 405, si recte hunc locum supra explicavimus; illic, qui celeriter graditur, fortibus equis vehi dicitur, hic, qui ire desinit, equos suos disjungere. Sunt qui h. l. *ἀποζεύγνυσθαι πόδας proficisci* interpretentur; quae significatio quomodo ex propria oriri potuerit, difficile est intellectu. Quo accedit, ut sic particulae *ὥσπερ* sua vis non servetur, ut Weil animadvertit.

Quum *freno* equi regantur et voluntati hominum parere cogantur, imago inde sumpta ad id, quod cogit, coërcet, vim affert, illustrandum apta est. *χαλινοί* vocantur ea vincula, quibus Prometheus ad rupem affixus est, Prom. 562: *τίνα φῶ λεύσσειν τόνδε χαλινοῖς ἐν πετρίνοισιν χειμαζόμενον;* — Item vinculum, quo os Iphigeniae, quum immolaretur, praeligatum est, ne exsecrationes emitteret, Ag. 239: *βίᾳ χαλινῶν τ' ἀναύδῳ μένει.* — *Vim cogentem* significat Prom. 672: *ἀλλ' ἐπηνάγκαζέ νιν Διὸς χαλινὸς πρὸς βίαν πράσσειν τάδε.* — Ag. 1066 contumacia Cassandrae ita describitur: *χαλινὸν δ' οὐκ ἐπίσταται φέρειν, πρὶν αἱματηρὸν ἐξαφρίζεσθαι μένος.* Imago petita est ab equis indomitis, qui, quum frenum iis injectum est, ferociter spumas in ore agunt neque prius parent, quam ferocitas eorum despumavit et habenae tam vehementer adductae sunt, ut sanguis ex

[1]) Cnfr Schönborn, Die Skene der Hellenen. Leipz. 1858, p. 217. Wecklein, Studien zu Aeschylus. Berl. 1872, p. 9.

ore sequatur. Eodem modo Cassandra non prius parebit, quam contumacia ejus vi coërcita erit. *αἱματηρόν* praedicativam vim, quam vocant, habere et ad significationem vehementiae augendam additum esse patet. Ceterum quum hanc vocem spectatores audirent, qui iam antea, quem in finem tragoedia tenderet, cognitum habebant, fieri non potuit, quin caedes, quam Clytaemnestra pararet, animis eorum obversaretur. Ejusmodi ambiguitates apud tragicos frequentes sunt. — Eodem modo transfertur **στόμιον,** quod proprie eam freni partem, quae in ore equi est, significat, Ag. 131: **οἷον μή τις ἄγα θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν στόμιον μέγα Τροίας στρατωθέν.** Frenum magnum Trojae esse exercitum Graecum, sic appellatum, quia urbem illam, ut frenum equum, coërceat, omnes consentiunt, nisi quod Weil Atridas potius spectari arbitratur. Non aeque de epithetis **προτυπέν** et **στρατωθέν** consentiunt. Illud ab Herm. vertitur »*prius percussum* i. e. ante belli clades immolatione Iphigeniae afflictum«; alii **προτυπέν** intra fines ejus metaphorae, quae in **στόμιον** est, trahentes interpretantur *prius procusum*, ut exercitus Graecus antea ad Trojam excidendam destinatus dicatur; quae explicatio idcirco alteri praeferenda est, quod sic in eadem metaphora manet oratio neque duae discrepantes, id quod ab Aeschyli consuetudine abhorret, permiscentur. **στρατωθέν** vel *in bellum profectum* vel, quae Hermanni sententia est, *in castris versans* explicatur, utrumque, quum de freno praedicetur, omnium maxime absurdum. Nisi scriptura corrupta est, **στρατωθέν** nihil significare potest nisi: *quod formam exercitus habet;* ergo hic frenum dicitur, quod tamen non verum frenum sit, sed formam exercitus habeat. Quod adjectivum qui frigidum et parum venustum judicant, eos monitos velim Aeschylum etiam aliis minime dubiis locis, quum metaphoram paullo audaciorem posuerit, ut tamquam metuat, ne non intelligatur, ei vocabulum adjicere, quod ad rem propriam pertineat et, quo imago spectet, plane demonstret. Cnfr Prom. 880: **οἶστρου δ' ἄρδις χρίει μ' ἄπυρος.** Ag. 136: **πτανοῖσι κυσί.** Sept. 64: **κῦμα χερσαῖον στρατοῦ.** De hoc usu infra uberius disputabimus. De **κνεφάσῃ** dictum est p. 36. — **ψάλιον,** proprie *annulus freni,* etiam de toto freno, praeser-

tim lupato, dictum, vim domandi habet Choeph. 962: *μέγα δ᾽ ἀφηρέθη ψάλιον οἰκετῶν,* interfectis Clytaemnestra et Aegistho frenum domesticis demptum est. — *κημός,* proprie *fiscella,* quae oribus equorum innectebatur, ne mordere possent (Xen. de arte equit. 5, 3), in significationem *vinculi* ab Aeschylo translatus est, ut videmus ex schol. ad Arist. Equit. v. 1147 (Fr. 124): *Αἰσχύλος ἐν Λυκούργῳ ἀλληγορικῶς τοὺς δεσμοὺς κημοὺς εἴρηκε διὰ τούτων »καὶ τούσδε κημοὺς στόματος».*

κέντρον, proprie *stimulus,* quo aurigae ad equos vel alia jumenta impellenda utebantur, eodem fere modo atque apud nos vocabula *calcar* significantia transfertur, ut id, quod ad aliquid faciendum impellat et incitet, declaretur. Eum. 427: *ποῦ γὰρ τοσοῦτο κέντρον ὡς μητροκτονεῖν;* ubi est tantum incitamentum, ut aliquem ad matrem interficiendam adducere possit? Suppl. 107: *καὶ διάνοιαν μαινόλιν κέντρον ἔχων ἄφυκτον.* Eum. 466: *ἄλγη προφωνῶν ἀντίκεντρα καρδίᾳ, εἰ μή τι τῶνδ᾽ ἔρξαιμι τοὺς ἐπαιτίους.* Horrenda illa mala, quae Apollo Oresti minatus erat, nisi ab iis, qui patrem ejus interfecissent, poenas sumpsisset, cordi ejus in loco stimuli fuerunt, i. e. ad parricidium faciendum impulerunt. Eum. 136: (*ὀνείδη ἔνδικα*) *τοῖς σώφροσιν ἀντίκεντρα γίγνεται,* justae reprehensiones sapientes ad agendum excitant. Paulo post v. 155 Furiae: *ἐμοὶ δ᾽ ὄνειδος ἐξ ὀνειράτων μολὸν ἔτυψεν δίκαν διφρηλάτου μεσολαβεῖ κέντρῳ ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λοβόν. πάρεστι μαστίκτορος δαΐου δαμίου βαρὺ τὸ περίβαρυ κρύος ἔχειν.* Furiae se conviciis Clytaemnestrae perculsas dicunt tamquam ab auriga, qui stimulum suum medium prehendat, quo eum fortius vibrare possit. Deinde ad aliam atque eam fortiorem imaginem transgressae convicia illa cum flagello carnificis comparant, quo perculsas se horrere dicunt. — Interdum imagine stimuli res, quae dolorem affert, illustratur nulla adjuncta incitationis significatione. Prom. 691: *πήματα, λύματα, δείματ᾽ ἐμὰν ἀμφάκει κέντρῳ ψήξειν ψυχάν. ἀμφάκης* est *duobus aculeis instructus,* cujus generis stimulos apud Graecos in usu fuisse constat; cfr Oed. R. 809: *διπλοῖς κέντροισι.* Quum talibus stimulis graviora vulnera infligi possent, epitheton *ἀμφάκει* hic eo

pertinet, ut vehementia doloris, quem Oceanides ex narratione calamitatum Ius sentiunt, majore vi efferatur. Prom. 598: *θεόσυτον νόσον ὠνόμασας, ἃ μαραίνει με χρίουσα κέντροις φοιταλέοις.* Translatio a *κέντρῳ* deprompta, qua similiter atque in superiore exemplo dolores Ius errabundae significantur, h. l. eo aptior est, quod furor ille, quo Io agitatur, quia ipsa in vaccam mutata est, imagine illustratur *asili* (*τῆς οἰστροδινήτου κόρης*) et aculeus insectorum Graece dicitur *κέντρον*. *οἶστρον* non esse verum asilum, sed translate de furore dictum inter alia docent vv. 567, 8. Eodem sensu de Ione dicitur Suppl. 564: *ὀδύναις κεντροδαλήτισι.* — In proverbii vim abiit locutio *πρὸς κέντρα λακτίζειν,* quae quum proprie de equis adversus stimulum aurigae recalcitrantibus dicatur, ad homines transfertur iis, qui validiores sunt, frustra repugnantes. Non satis accurate Hesychius hoc proverbium explanavit: *παροιμία ἐπὶ τοῦ κατὰ τῶν ἐναντίων τι λέγειν ἢ πράττειν.* Apud Aeschylum haec exempla exstant. Ag. 1624: *πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε μὴ παίσας μογῇς. παίσας* est *offendens;* nam quum equi adversus stimulum recalcitrant, fieri solet, ut vulnere accepto dolorem sentiant. Eodem modo chorus, nisi contumaciae finem fecerit, graves poenas dabit. Idem proverbium vulgari forma paullum immutata invenitur Prom. 323: *οὔκουν ἔμοιγε χρώμενος διδασκάλῳ πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς,* quibus verbis Oceanus Prometheum hortatur, ut imperio Jovis resistere desinat. Cfr Pind. Pyth. 2, 173: *ποτὶ κέντρον δέ τοι λακτιζέμεν τελέθει ὀλισθηρὸς οἶμος.* Eur. Bacch. 795: *θύοιμ᾽ ἂν αὐτῷ μᾶλλον ἢ θυμούμενος πρὸς κέντρα λακτίζοιμι, θνητὸς ὢν θεῷ.*

μάστιξ, verber, quod et ad jumenta impellenda et ad servos puniendos adhibebatur, translate ad poenam, praesertim a diis immissam, illustrandam usurpatur. Homerus exemplo praeivit Il. 12, 37: *Ἀργεῖοι δὲ Διὸς μάστιγι δαμέντες.* 13, 812: *ἀλλὰ Διὸς μάστιγι κακῇ ἐδάμημεν Ἀχαιοί.* Aeschylus hac imagine utitur Sept. 607: *πληγεὶς θεοῦ μάστιγι παγκοίνῳ᾽δάμη.* Prom. 682 Io dicit: *οἰστροπλὴξ δ᾽ἐγὼ μάστιγι θείᾳ γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι,* ubi *μάστιγι* eo aptius ad *οἰστροπλήξ* applicatur, quod etiam verbera, quo fortius ferirent, aculeos habere solebant. Ag.

642: *πολλοὺς δὲ πολλῶν ἐξαγισθέντας δόμων ἄνδρας διπλῇ μάστιγι, τὴν Ἄρης φιλεῖ, δίλογχον ἄτην, φοινίαν ξυνωρίδα.* Verbera interdum duobus loris instructa fuisse et ex exemplis scriptorum, ut Soph. Ai. v. 242: *διπλῇ μάστιγι,* constat et multa artis monumenta ex antiqua aetate servata confirmant. Tale verber hic Aeschyli animo obversatum esse patet, sed non satis apparet, quo sensu in translatione duplex verber dixerit. Herm. *duplex malum* spectari dicit, quod iis, quae addantur, *δίλογχον ἄτην, φοινίαν ξυνωρίδα,* confirmari putat, sed neque ipse, quid sit hoc duplex malum, explicat neque id ego invenire possum. Equidem credo *διπλῇ* non ad duplex aliquod malum spectare, sed eodem modo atque *ἀμφάκει* Prom. 693 ad vim augendam additum esse. *δίλογχον ἄτην, φοινίαν ξυνωρίδα* ad *διπλῇ μάστιγι* per appositionem referuntur, quamquam, id quod non raro apud poetas fit, ad casum relativi pronominis *τήν,* quia id propius est, accommodata sunt [1]), neque alio consilio adduntur, quam ut imago duplicis illius flagelli, quod Mars gerere solere dicitur, magis exornetur; de duplici malo, et civitati et singulis viris accidente, quod nonnullis in mentem venisse invenio, ne hic quidem est cogitandum. *ἐξαγίζειν* est aliquid ut piaculum (*ἄγος*) expellere et ita consecrare ac devovere; fortasse recte Schütz animadvertit vocibus *διπλῇ μάστιγι* etiam id spectari, quod, qui e terra quadam cum ignominia ejicerentur, flagellis expelli solerent. — Ut stimulus, sic etiam verber cuivis rei, quae magnum dolorem afferat, illustrandae inservit; sic ex vulgari interpretatione Choeph. 375: *ἀλλὰ διπλῆς γὰρ τῆσδε μαράγνης δοῦπος ἱκνεῖται· τῶν μὲν ἀρωγοὶ κατὰ γῆς ἤδη, τῶν δὲ κρατούντων χέρες οὐχ ὅσιαι στυγερῶν τούτων.* Plerique *μαράγνης* de dolore, quem chorus sentiat, intelligunt et *διπλῆς* ad ea, quae sequuntur, *τῶν μὲν ἀρωγοὶ κατὰ γῆς* et *τῶν δὲ κρατούντων* referunt, ut chorus duplici dolore se perculsum dicat, uno, quod ii, qui Oresti et Electrae opem ferre possint, mortui sint, altero, quod oppressores eorum regnent. Contra hanc explicatio-

---

[1]) Hom. Od. 1, 69: *Κύκλωπος κεχόλωται, ὃν ὀφθαλμοῦ ἀλάωσεν, ἀντίθεον Πολύφημον;* 2, 120; 4, 11. Il. 3, 124. Krüger, Griech. Sprachlehre, II, 57, 10, 2.

nem disputat Weil, qui duplicem lamentationem, i. e. et ab Oreste et Electra editam intelligit, qua pater eorum mortuus ad opem ferendam quasi verbere excitari dicatur; quo chorum fratres ad vindictae consilia et victoriae spem erigere. Sed quum conjunctio *ἀλλά,* quae *μέν* post *ταῦτα* respondet, haec ad antecedentia contrarie referri demonstret, mihi quidem minime dubium videtur, quin chorus his verbis non animos Orestis et Electrae confirmare velit, sed contra vana illa optata, quae Electra superiore stropha protulerat, iam verum rerum statum exponat, quo se angi dicit. Quare vulgarem interpretationem rectam esse arbitror, nisi quod fortasse *διπλῆς μαράγνης* etiam hic vehementem potius quam duplicem dolorem illustrat. — Suppl. 466: *ἤκουσα μαστικτῆρα καρδίας λόγον,* ubi *λόγον μαστικτῆρα,* modo sic recte ab Aurato emendatum sit, est verbum, quod cor tamquam verbere caedit, i. e. vehementer angit. Cod. M. habet *μακιστῆρα,* quod Stephanus id genus teli, quod longissime jaci possit, significare dicit. Herm. scholio *ἤκουσα λόγον καρδίας δηκτικόν* nisus scribit *δακνιστῆρα*; id quod animum angit, eum mordere dici supra (p. 61) vidimus.

A curru petita est metaphora Sept. 371: *σπουδῇ διώκων πομπίμους χνόας ποδοῖν. χνόη* proprie est *modiolus*, in quem axis rotae insertus est. Schütz metaphoram sic exponit: »ut qui celerius curru vehitur, facit, ut rotae celerius circum axes convertantur, ita qui ad cursum se dat, pedibus citatiorem motum imperat». Cfr Choeph. 676: *ἀπεζύγην πόδας.* Comparandum est etiam, quod *κνοῦς,* proprie *sonitus, quem axis rotae efficit,* ab Aeschylo ad strepitum pedum transfertur, ut auctor est Hesychius (Fr. 235): *κνοῦς. ὁ ἐκ τοῦ ἄξονος ἦχος. λέγεται δὲ καὶ κνόη. καὶ ὁ τῶν ποδῶν ψόφος, ὡς Αἰσχύλος Σφιγγί.*

§ 19. Inde ab Homero *lupus* imago crudelitalis et ferociae est; vide Il. 16, 156 et alibi. Implacabilitas designatur Choeph. 421: *λύκος ὥστ' ὠμόφρων ἄσαντος ἐκ ματρός ἐστι θυμός,* animi Agamemnonis et liberorum ejus non magis quam lupus a Clytaemnestra placari possunt. Aegisthus lupus appellatur Ag. 1259:

ὀτοτοῖ, Λύκει᾽ Ἄπολλον, οἴ ἐγὼ ἐγώ.
αὕτη δίπους λέαινα συγκοιμωμένη
λύκῳ, λέοντος εὐγενοῦς ἀπουσίᾳ,
κτενεῖ με τὴν τάλαιναν.

Ceterum neminem fugit Cassandram verbis quodam modo ludentem, quum modo *Ἀπόλλω Λύκειον* invocaverit, iam Aegisthum cum lupo comparare. Cognomen *Λύκειος,* quod probabiliter a radice *λυκ, lucere*, ductum est, vulgo a *λύκῳ* repetebatur et Apollini, quia *luporum interfector*, *pecoris defensor* esset, inditum esse putabatur, quae derivatio hic Aeschylo obversatur. Cassandra queritur Apollinem, quum luporum sit interfector, se tamen ab hoc lupo non tueri. — Fr. 33 aliquis abstrahi dicitur eodem modo, quo duo lupi hinnuleum ferunt:

εἷλκον δ᾽ἄνω λυκηδὸν, ὥστε διπλόοι
λύκοι νεβρὸν φέρουσιν ἀμφὶ μασχάλαις.

De Suppl. 760: *ἀλλ᾽ ἔστι φήμη τοὺς λύκους κρείσσους κυνῶν εἶναι* infra dicemus.

§ 20. Ex *canibus* et eorum natura magnam imaginum copiam profectam esse non est quod miremur, quum constet iam antiquissimis temporibus, de quibus aliquid certi novimus, canes inter cicures bestias Graecorum fuisse. Iam carmina Homerica nobis indicio sunt, quam frequens eorum usus fuerit quamque varia ad negotia sint adhibiti, ut ad venandum [1]), ad domum et greges custudiendos [2]), etiam ut viros principes, quum in publicum prodirent, comitarentur [3]). Ad haec igitur canum tamquam munera et ad eos mores, qui eorum proprii videbantur, omnes transferendi rationes sunt revocandae. Ac primum canis venaticus, cujus est feram odorari, ad eum illustrandum pertinet, qui aliquid sagaciter investigat. Ita Ag. 1093 Cassandra, quae se ad domum parricidiorum consciam venisse exclamavit, canis instar sagax esse et caedem odorari dicitur:

ἔοικεν εὖρις ἡ ξένη κυνὸς δίκην
εἶναι, ματεύει δ᾽ὧν ἀνευρήσει φόνον.

---

[1]) Od. 17, 294.
[2]) Il. 18, 578.
[3]) Od. 2, 11; 18, 62; 20, 145.

— Similiter Cassandra ipsa de se, foeda illa facinora, quae apertura est, respiciens Ag. 1184:

καὶ μαρτυρεῖτε συνδρόμως ἴχνος κακῶν
ῥινηλατούσῃ τῶν πάλαι πεπραγμένων.

ῥινηλατεῖν proprie de canibus odorantibus dicebatur. — *κυναγετεῖν*, *canibus venari*, in universam persequendi vim transiit. Prom. 573 de asilo illo, quo Io agitatur: *ἀλλά με τὰν τάλαιναν κυναγετεῖ.* Item *κυναγός* Ag. 695: *πολύανδροί τε φεράσπιδες κυναγοὶ κατ' ἴχνος πλατᾶν ἄφαντον.* Graeci tamquam canibus venantes vestigia Paridis et Helenae urgent, quae tamen, quum per mare iter faciant, illico intereunt (*ἄφαντον*). — Saepe in Eumenidibus de Oreste ita dicitur tamquam de fera agitata, de Furiis tamquam de canibus venaticis, qui vestigia ejus persequuntur. 111:

ὁ δ' ἐξαλύξας οἴχεται νεβροῦ δίκην,
καὶ ταῦτα κούφως ἐκ μέσων ἀρκυστάτων
ὤρουσεν ὑμῖν ἐγκατιλλώψας μέγα.

Orestes quum ex templo a Furiis circumsesso aufugeret, similiter fecit atque hinnuleus, qui mediis ex plagis elabitur. — 131 Clytaemnestra Furias in somno *λαβὲ λαβέ* clamantes ita alloquitur:

ὄναρ διώκεις θῆρα, κλαγγάνεις δ' ἅπερ
κύων μέριμναν οὔποτ' ἐκλιπὼν πόνου.

Cum cane comparatur, qui in somno latrat, quum feram persequi sibi videtur [1]). — 147: *ἐξ ἀρκύων πέπτωκεν οἴχεταί θ' ὁ θήρ· ὕπνῳ κρατηθεῖσ' ἄγραν ὤλεσα.* 231: *δίκας μέτειμι τόνδε φῶτα κἀκκυνηγετῶ.* 246: *τετραυματισμένον γὰρ ὡς κύων νεβρὸν πρὸς αἷμα καὶ σταλαγμὸν ἐκματεύομεν.* Furiae Orestem, ut canis hinnuleum saucium, insectantur, sanguinem, quem ex manibus parricidae manare fingit poeta, tamquam odorantes. — Sine dubio maxime ob id ipsum, quod vestigia parricidae premunt, Furiae *κύνες* vocantur Choeph. 924: *φύλαξαι μητρὸς ἐγκότους κύνας.* Choeph. 1054: *σαφῶς γὰρ αἵδε μητρὸς ἔγκοτοι κύνες.* Cfr Soph. El. 1388 *ἄφυκτοι κύνες.* Sed etiam aliam vim

[1]) Cfr Lucret. IV, 988; Petron. c. 104.

in nomine κυνός hic inesse puto. Quum enim in fabulis non minus Graecorum quam aliarum gentium Indogermanarum, quae vocantur, multae immanes belluae forma magni canis indutae fingerentur, factum est sensim, ut nomen κύων vim quandam diri et monstruosi acciperet et a poetis ad alia quoque monstra, etiamsi minime figuram caninam habebant, transferretur. Sic hoc nomine appellatur Sphinx Fr. 234: Σφίγγα δυσαμεριᾶν πρύτανιν κύνα πέμπει et Soph. Oed. Rex 391 ἡ ῥαψῳδὸς κύων et apud alios poetas Hydra, Harpyiae, Scylla. Eadem ratione Furias canes nominatas velim, quippe quae horrenda specie, anguicomae, sanguinem ex oculis stillantes cogitarentur. — Etiam Prom. 803: ὀξυστόμους γὰρ Ζηνὸς ἀκραγγεῖς κύνας γρῦπας φύλαξαι in κύων eandem illam monstruosi vim inesse puto, ita tamen, ut etiam hic cum ea conjungatur alia. Gryphi enim, quum jussu Jovis aurum custodiant, munere canum quodam modo funguntur. Hoc igitur ad secundum illud spectat negotium, quod canes obire diximus, quocum facile conjunguntur notiones vigilantiae et fidelitatis. — Ob vigilantiam speculator ille, qui in tecto aedium positus est, ut ignes excidii Trojae nuntios observet, se cum cane confert Ag. 3: φρουρᾶς, ἣν κοιμώμενος στέγης Ἀτρειδῶν ἄγκαθεν, κυνὸς δίκην. — Cura domus atque rei familiaris et fidelitas in maritum designatur, quum Clytaemnestra Ag. 607 sese appellat δωμάτων κύνα ἐσθλὴν ἐκείνῳ, πολεμίαν τοῖς δύσφροσιν; canis, domus custos, dominum adulari, in alienos se hostilem praebere solet. — Ag. 896 inter quattuor illa nominum ornamenta, quibus Clytaemnestra maritum ut praesidium et servatorem domus laudat, est etiam τῶν σταθμῶν κύνα. Herm, qui poeticam dictionem hic articulum non pati censet, scribit βουσταθμῶν, ut Agamemno domum suam, ut canis stabulum, tueri dicatur. — Multi loci Homerici demonstrant heroica aetate moris fuisse, ut canes viros, praesertim proceres, quum in publicum prodirent, sequerentur, velut Od. 2, 11 Telemachus in contionem Itacensium se conferens duobus canibus comitatus inducitur. Ex quo more explicandum est, quod aquila canis Jovis nominatur; haec enim avis supremi dei comes sempiternus et quasi satelles est, quare etiam ab artificibus in sceptro

Jovis sedens vel fulmen gerens fingebatur. Cfr pulcherrimos versus Pind. Pyth. 1, 6 et Soph. Fr. 766: ὁ σκηπτοβάμων αἰετὸς, κύων Διός. Apud Aeschylum haec sunt exempla. Prom. 1022: Διὸς δέ τοι πτηνὸς κύων δαφοινὸς ἀετός. Ag. 136: πτανοῖσι κυσὶ πατρός. πτανοῖσι Aeschylus addidit ex more suo, quum metaphoram paullo audaciorem quasi mitigare vult. Fortasse etiam altera caussa, quare nomen canum ad aquilas adhibeatur, in eo inveniri potest, quod ceteras aves ita venantur, ut canes animalia terrestria.

Aliud genus imaginum solum ad eos quasi mores, qui canis proprii putabantur, pertinet. In hoc genere id animadversione dignum est, quod imago canis, fidelissimi et utilissimi comitis hominum, quum ad mores designandos adhibetur, plerumque in invidiam et contumeliam trahitur, rarius virtutes quasdam, ut sagacitatem, fidelitatem, vigilantiam, declarat; quod et in veteribus et recentioribus linguis cernitur. Sic apud Graecos impudentia, adulatio, libido canis in proverbium venit. Iam apud Homerum κύων vim convicii habet, quo impudentia et nimia audacia significatur; hoc nomine sese appellat Helena Il. 6, 344, 356, Iris Minervam Il. 8, 423, Iuno Dianam Il. 21, 481, quibus alia multa exempla addi possunt. Impudentia Clytaemnestrae, quae maritum, dum mortem ei parat, blandis alloquitur verbis, nomine κυνός declaratur Ag. 1228: (Agamemno) οὐκ οἶδεν οἷα γλῶσσα μισητῆς κυνὸς λέξασα. Eodem sensu Choeph. 621 Scylla, quae patrem suum occidit, κυνόφρων vocatur, et Suppl. 759 Danaides filios Aegypti, qui ne deos quidem verentes eas ab ipsis aris abripere parant, κυνοθρασεῖς appellant. Ad haec Danaus eandem comparationem persequens respondet: ἀλλ᾽ ἔστι φήμη τοὺς λύκους κρείσσους κυνῶν εἶναι. Sententia hujus locutionis, quam proverbialem fuisse apparet, haec est: Argivi filiis Aegypti tanto fortiores sunt, quanto lupi canibus validiores. Schol.: τοσοῦτον αὐτῶν διαφέρουσιν ὅσον λύκοι κυνῶν. — κυντερώτατος, de κύντερος, vocabulo Homerico, quod *impudentiorem* significat, declinatum, ab Aeschylo usurpatum esse auctor est Photius; vide Fr. 396. — Quum procacitas propria canum haberetur, etiam vox canum, ὕλαγμα, de hominibus procaci sermone utentibus dicebatur. Ag. 1631: σὺ δ᾽ ἐξορίνας

νηπίοις ὑλάγμασιν ἄξει. Ag. 1672: *μὴ προτιμήσῃς ματαίων τῶνδ' ὑλαγμάτων.* Similiter *ὑλάσκειν* est *insolenter gloriari* Suppl. 877: *λύμας εἷς σὺ πρὸ γᾶς ὑλάσκων περιχαμπτὰ βρυάζεις.* Cfr Soph. El. 299: *τοιαῦθ' ὑλακτεῖ.* Paullo aliter Hom. Od. 20, 13: *κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει,* ubi ira significatur. — *βαΰζειν,* vocabulum de fremitu canum proprium, de vocibus indignantium ponitur Ag. 448: *τάδε σῖγά τις βαΰζει*; de querentibus Pers. 13: *νέον δ' ἄνδρα βαΰζει* (sc. Asia). — Inde, quod canes, quum adulari et gratiam sibi parare volunt, caudam movere solent, usus ille apud tragicos frequentissimus profectus est, quo *σαίνειν* et composita ejus, proprie *caudam movere,* in vim *blandiendi, placandi* transferuntur. Ag. 797: *τὰ δοκοῦντ' εὔφρονος ἐκ διανοίας σαίνειν,* *qui ex benevolentia animi blandiri videntur.* Choeph. 420: *πάρεστι σαίνειν τὰ δ' οὔτι θέλγεται. λύκος γὰρ ὥστ' ὠμόφρων ἄσαντος ἐκ ματρός ἐστι θυμός.* Clytaemnestra animos liberorum placatos reddere conatur, sed blanditiis mulceri non possunt (*ἄσαντος*). Ag. 1665: *οὐκ ἂν Ἀργείων τόδ' εἴη, φῶτα προσσαίνειν κακόν,* *non Argivorum est virum ignavum adulari.* — *παρασαίνειν* de Ate ponitur, quae primo homini arridens, i. e. prosperam fortunam tribuens eum in rete suum illicit, Pers. 97: *φιλόφρων γὰρ παρασαίνει βροτὸν εἰς ἄρκυας Ἄτα.* Libri habent: *φιλόφρων γὰρ σαίνουσα τὸ πρῶτον παράγει βροτὸν εἰς ἀρκύστατα,* quae interpretamentis vitiata esse patet. — A blandiendo facilis est transgressus ad vim *mulcendi, jucundo sensu afficiendi,* quam interdum verbo *σαίνειν* subesse videmus. Ita de illecebris spei Choeph. 193: *σαίνομαι δ' ὑπ' ἐλπίδος.* Similiter in loco valde dubio Prom. 835:

αἱ προσήγοροι δρύες,
ὑφ' ὧν σὺ λαμπρῶς κοὐδὲν αἰνικτηρίως
προσηγορεύθης ἡ Διὸς κλεινὴ δάμαρ
μέλλουσ' ἔσεσθαι. τῶνδε προσσαίνει σέ τι.

Si ita recte scribitur, necesse est verba *τῶνδε προσσαίνει σέ τι* pro parenthetice insertis habere: *eorum aliquid, quae dixi* (sc. quod conjux Jovis appellata es), *te jucunde movet, jucundam memoriam in te excitat.* Schol. explicant: *θέλγει,*

ἡδύνει et *εἰς μνήμην ἔρχεται καὶ εὐφραίνει σε διὰ τὸ εἶναι ἀληθῶς δάμαρτα Διός* et *ὑπομιμνήσκει καὶ εὐφραίνει σε.* Herm. scribit *εἰ τῶνδε προςσαίνει σέ τι.* Cfr Soph. Ant. 1214: *παιδός με σαίνει φθόγγος.* — Bis Aeschylus *σαίνειν* cum objecto *μόρον* conjungit in sententiam: *morti tamquam blandiri, ne se abripiat,* i. e. *mortem evitare studere,* similitudine a cane desumpta, qui cauda movenda iram domini lenire studet. Sept. 383: *σαίνειν μόρον τε καὶ μάχην.* Sept. 704: *τί οὖν ἔτ' ἂν σαίνοιμεν ὀλέθριον μόρον;*

Restat iam unum simile a cane ductum Choeph. 446: *μυχοῦ δ' ἄφερκτος πολυσινοῦς κυνὸς δίκην.* Electra dicitur noxii canis instar a penetralibus seclusa esse. Herm. scribit *μυχῷ δ' ἄφερκτος, in penetralibus inclusa,* minus bene, quum nullo loco, quod sciam, traditum sit Electram carcere inclusam esse.

§ 21. Homerus, qui imaginibus ex vita bestiarum sumptis praeter ceteras delectatur, nullam tamen saepius inducit quam regem ferarum, *leonem;* similitudines ab eo ductae quattuor et triginta, nisi in numerando erravi, in carminibus Homericis inveniuntur. Mirum igitur esse nequit tragicos, quorum studium Homeri imitandi non minime in comparationibus cernitur, eandem imaginem saepius adhibere. Vulgo apud eos leo ferocitatem et sanguinis cupiditatem repraesentat. Infra uberius de explicata illa similitudine Ag. 717—736 disputabo, qua nulla longior in tragoediis Aeschyli invenitur:

ἔθρεψεν δὲ λέοντος
ἶνιν δόμοις ἀγάλακτον
οὕτως ἀνὴρ φιλόμαστον,
ἐν βιότου προτελείοις
ἅμερον, εὐφιλόπαιδα
καὶ γεραροῖς ἐπίχαρτον.
πολέα δ' ἔσχ' ἐν ἀγκάλαις
νεοτρόφου τέκνου δίκαν,
φαιδρωπὸς ποτὶ χεῖρα σαίνων τε γαστρὸς ἀνάγκαις.
χρονισθεὶς δ' ἀπέδειξεν
ἦθος τὸ πρόσθε τοκήων.

χάριν τροφᾶς γὰρ ἀμείβων
μηλοφόνοισιν ἐν ἄταις
δαῖτ᾽ ἀκέλευστος ἔτευξεν·
αἵματι δ᾽ οἶκος ἐφύρθη,
ἄμαχον ἄλγος οἰκέταις
μέγα σίνος πολύκτονον.
ἐκ θεοῦ δ᾽ ἱερεύς τις ἄτας δόμοις προςεθρέφθη.
παρ᾽ αὐτὰ δ᾽ ἐλθεῖν ἐς Ἰλίου πόλιν
λέγοιμ᾽ ἂν φρόνημα μὲν νηνέμου γαλάνας.

Describitur, quomodo catulus leonis, qui domi hominis educatur, primo mitem et blandum se praebeat, deinde, quum aetate processit, conversa natura magnam caedem in domo faciat; quae comparatio ad Helenam adhibetur, quae Trojanis primo gaudio, deinde exitio est. Cum hac similitudine comparari potest Arist. Ran. 1478 sequ., ubi Aeschylus ita loquens inducitur:

οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν·
μάλιστα μὲν λέοντα μὴ ᾽ν πόλει τρέφειν·
ἢν δ᾽ ἐκτρέφῃ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

G. Herm. suspicatur primum et ultimum versum ex tragoedia aliqua Aeschyli sumptos esse. — Exercitus Graecorum Trojam devastans cum leone sanguinis sitienti comparatur Ag. 824 sequ.:

πόλιν διημάθυνεν Ἀργεῖον δάκος,
ἵππου νεοσσὸς, ἀσπιδηφόρος λεὼς,
πήδημ᾽ ὀρούσας ἀμφὶ Πλειάδων δύσιν·
ὑπερθορὼν δὲ πύργον ὠμηστὴς λέων
ἄδην ἔλειξεν αἵματος τυραννικοῦ.

Imago ferae per totum locum continuatur; primo exercitus Graecus fera tantum dicitur, illius equi lignei partus, qui occasu Vergiliarum saltum dedit; deinde quum murum transsiluit, haec fera leōnem se esse ostendit, qui sanguine regum se satiat. In verbis *ἀμφὶ Πλειάδων δύσιν* interpretes haeserunt neque ea satis explicare potuerunt. Vergiliae vere, qua tempestate Troja capta esse putabatur, noctu non occidunt. Quare quidam (e. gr. Boeckh in Corp. Inscr. Vol. II. p. 328—330) audacius nocturnum tempus ante ortum Vergi-

liarum intelligunt, quo tempore etiam ferae raptum exeunt. — Ag. 1223: *ἐκ τῶνδε ποινάς φημι βουλεύειν τινὰ λέοντ' ἄναλκιν ἐν λέχει στρωφώμενον οἰκουρόν.* Leo est Aegisthus, sic vocatus, quia caedem parat. Praeterea animadvertendum est *λέοντα* et duo illa, quae ei subjiciuntur, epitheta, quum ab indole leonis abhorreant, oxymoron quodam modo efficere. In Aegistho est sanguinis sities leonis, non fortitudo ejus et animus. — Ob eandem causam Clytaemnestra, quae mox maritum et Cassandram interficiet, nomine leaenac appellatur Ag. 1258:

αὕτη δίπους λέαινα συγκοιμωμένη
λύκῳ, λέοντος εὐγενοῦς ἀπουσίᾳ,
κτενεῖ με τὴν τάλαιναν.

Manifestum est Agamemnonem nullam aliam ob causam leonem appellari, quam quod Clytaemnestra, uxor ejus, paullo ante cum leaena est comparata. Lupus est Aegisthus; vide supra p. 96. — Metaphora cum metonymia conjuncta *λέων* ita dicitur, ut *caedem* significet, Choeph. 939: *ἔμολε δ' ἐς δόμον τὸν Ἀγαμέμνονος διπλοῦς λέων, διπλοῦς Ἄρης.* Conferri potest Il. 21, 483: *ἐπεί σε λέοντα γυναιξὶν Ζεὺς θῆκεν.* Quid sibi velit *διπλοῦς*, interpretes dubitant. Orestem et Pyladen intelligit schol., cui plerique recentiores assentiuntur. At huic explicationi duo obstant, unum, quod caedes ab Oreste solo, non ab Oreste et Pylade perpetratur, alterum, quod hic, ubi gravitas poenae, quae ad domum Agamemnonis pervenit, est declaranda, nihil attinet dicere duos fuisse, qui vindictam exsequerentur. Neque magis de Agamemnone et Clytaemnestra est cogitandum. Quum haec a choro statim post interfectos Aegisthum et Clytaemnestram dicantur, nihil nisi horum caedem designari mihi quidem ita persuasum est, ut valde mirer neminem ante Weilium id animadvertisse. — Sept. 52 septem illi viri, qui Thebas aggrediuntur, ob invictum animum et bellicum ardorem cum leonibus comparantur: *σιδηρόφρων γὰρ θυμὸς ἀνδρείᾳ φλέγων ἔπνει, λεόντων ὡς Ἄρη δεδορκότων.* Etiam in multis Homericis similitudinibus fortitudo tertium comparationis est, velut Il. 12, 41—49.

Corrigenda et addenda.

p. 19 v. 16 a summo, scriptum est fuerunt; scriptum oportuit fuit.

p. 33 v. 5 a summo, scriptum est vocant; scriptum oportuit vocat.

p. 36 v. 4 a summo, ante *καὶ δνοφεράν* adde *τοῖον ἐπὶ κνέφας ἀνδρὶ μύσος πεπόταται.*

p. 38 post v. 10 adde. Antequam imagines lucis et tenebrarum relinquamus, unus locus, Choeph. 61 sequ., afferendus est, quo fortasse nullus obscurior in tragoediis Aeschyli invenitur. Scriptura codicum paullum immutata Dindorf, a quo ceteri non multum dissentiunt, ita legit: *ῥοπὴ δ᾽ ἐπισκοπεῖ Δίκας ταχεῖα τοὺς μὲν ἐν φάει, τὰ δ᾽ ἐν μεταιχμίῳ σκότου μένει χρονίζοντας ἄχη, τοὺς δ᾽ ἄκρατος ἔχει νύξ.* Quamquam igitur scriptura constare videtur, ii multi, qui hunc locum explicare conati sunt, tam diversas interpretationes protulerunt, ut vix duo inter se consentiant. Has interpretationes si quis cognoscere velit, eum delego ad Wecklein, Studien zu Aeschylus, p. 149 sequ., ubi gravissimae earum exponuntur. Quidquid de sententia loci statuitur, minime dubium est, quin *ἐν φάει, ἐν μεταιχμίῳ σκότου, ἄκρατος νύξ* varios quasi gradus ejusdem rei indicent; *lux, tamquam confinia lucis et tenebrarum* i. e. *crepusculum, cassa nox* inter se opponuntur. Quae quum sine dubio translato sensu accipienda sint, vis hujus imaginis duobus fere modis explicari potest. Alii enim interpretes lucem *prosperitatis* intelligunt, cui opponatur vel obscura atque ignobilis condicio vulgi vel profunda nox, quae mortuos te-

neat; in crepusculo eos versari, quorum sors inter prosperitatem et infelicitatem media sit. Herm. *ἐν φάει* de Aegistho et Clytaemnestra, *ἐν μεταιχμίῳ σκότου* de Oreste, *ἄκρατος νύξ* de Agamemnone dictum putat. Alii verba illa ad scelera aut manifesta aut clam commissa, sed aliquantisper tantum latentia aut semper oblivione involuta referunt. Utraque imago usitatissima est. Ut etiam ego interpretationem, quae mihi maxime probabilis videtur, in medium proferam, sic fere locum explicatum velim. Ancillae, quae modo prosperitatem hominibus deum et plus deo esse dixerunt, iam sententiam adjungunt tragicis vel maxime familiarem, ad eos, qui felicissimi et potentissimi sint, poenam celerius quam ad alios pervenire. *Discrimen justitiae divinae celeriter in eos ingruit, qui in luce vivunt, i. e. qui potentes et in republica praestantes sunt; serius dolores eos manent, qui in crepusculo versantur, i. e. qui, quamquam non principes sunt, tamen dignitate et opulentia vulgo antecedunt; alii (sc, vulgus) profunda nocte tenentur.* Haud multum dissimiliter O. Müller interpretatus est.

